







R. W. Church.

Deanery. St Pauls.



11

R. W. Church

London . . . Oct. 15th 18[illegible].

JUELLI

APOLOGIA ECCLESIÆ ANGLICANÆ,

&c.

APOLOGIA

ECCLESIÆ ANGLICANÆ:

HUIC NOVÆ EDITIONI ACCEDIT

EPISTOLA CELEBERRIMA

AD VIRUM NOBILEM D. SCIPIONEM, PATRICIUM VENETUM,

DE CONCILIO TRIDENTINO

CONSCRIPTA.

AUCTORE

JOANNE JUELLO,

OLIM EPISCOPO SARISBURIENSI.

CANTABRIGIÆ:

IMPENSIS T. STEVENSON,

J. H. PARKER, OXONII;

J. G. ET F. RIVINGTON, ET J. HATCHARD ET FIL., LONDINI.

MDCCCXXXVIII.

D.

CANTABRIGIÆ:
TYPIS EXCUDEBANT GUL. METCALFE ET J. PALMER.

D. JOANNI JUELLO


EPISCOPO SARISBURIENSI

P. MARTYR S. D.

Opera Episcopi Londinensis, amplissime Præsul et Domine quotidie mihi etiam atque etiam observande, allatum est exemplum tuæ Apologiæ pro Anglicana Ecclesia, quæ neque a me, neque a nostris antea fuerat visa. In tuis quidem postremis, illam prodituram potius innuisti quam significaveris: sed tantum itineris hactenus conficere non potuit, ut prius ad nos quam circiter Cal. Sextiles pervenerit. Hinc tu animo tuo metiaris, quantum damnum ob locorum distantiam subinde faciamus. Ea vero non tantum mihi, cui omnia tua probantur et mirifice placent, omnibus modis et numeris satisfecit; verumetiam Bullingero, ejusque filiis et generis; nec non Gualthero et Wolfio tam sapiens, mirabilis, et

eloquens visa est, ut ejus laudandæ nullum modum faciant, nec arbitrantur hoc tempore quicquam perfectius editum fuisse. Hanc ingenio tuo felicitatem, hanc ædificationem Ecclesiæ, hoc Angliæ decus vehementer gratulor, teque obtestor, ut quam ingressus es viam pergas tuis vestigiis premere. Etenim bonam licet habeamus causam, tamen præ hostium numero pauci sunt, qui eam tueantur : et illi jam ita videntur experrecti, ut bonitate styli, et argutis sophismatis multum se probent imperitæ multitudini. Loquor autem de Staphylis, Hosiis, et plerisque aliis hujus farinæ scriptoribus, qui hoc tempore mendaciorum Papæ strenuos patronos agunt. Quare cum in Apologia tua illa doctissima et elegantissima tantum spei de te concitaveris, certo scias, omnes bonos et doctos jam sibi polliceri, Veritatem Evangelicam te vivo non esse ab hostibus impune lacessendam. Ego vero plurimum lætor, quod illum diem viderim, quo factus sis parens tam illustris et elegantis filii. Largiatur Deus cœlestis Pater, pro sua bonitate, ut sobole non absimili frequenter augearis.

"*Apologia* [Juelli] *sic confecta est, ut Prima Pars sit Veræ Doctrinæ Illustratio, et Paraphrastica quædam duodecim Fidei Christianæ Articulorum Expositio: Secunda, succincta et solida objectionum Reprehensio. Si spectetur Ordo, nihil distributius: si Perspicuitas, nihil lucidius: si Stylus, nihil tersius: si Verba, nihil splendidius: si Res, nihil nervosius: quam ego —— optarem —————— in* OMNIBUS SCHOLIS CHRISTIANÆ JUVENTUTI AD EDISCENDUM PROPONI: *Ex qua, et Eloquentiæ præceptiones, et Pietatis initia tuto et plene hauriantur.*"—Laurentius Humfredus *De Vita Juelli.*



APOLOGIA

ECCLESIÆ ANGLICANÆ.

VETUS illa est querela a primis usque Patriarcharum et Prophetarum ducta temporibus, et omnis memoriæ literis et testimoniis confirmata,[1] Veritatem in terris peregrinam agere, et inter ignotos facile inimicos et calumniatores invenire. Id etsi aliis incredibile fortasse videri possit, si qui sint qui ista minus attente observaverint, præsertim cum hominum universum genus ipso naturæ ductu, sine magistro, sua sponte sit appetens veritatis; et Christus ipse Servator noster, cum inter homines versaretur, quasi nomine ad exprimendam omnem vim divinam, aptissime voluerit appellari Veritas: nos tamen qui in sacris Scripturis versati sumus, quique legimus et vidimus, quid omnibus piis omnium fere temporum, quid Prophetis, quid Apostolis, quid sanctis Martyribus,

[1] Tertul. in Apologetico.

quid Christo ipsi acciderit, quibus illi probris, maledictis, contumeliis, cum viverent, veritatis unius causa vexati fuerint, videmus, id non tantum non esse novum aut incredibile, sed etiam receptum jam et omnibus temporibus usitatum. Imo illud multo potius mirum atque incredibile videri posset, si pater mendaciorum[2] et hostis omnis veritatis Diabolus, nunc tandem repente mutaret ingenium, et speraret veritatem aliter quam mentiendo posse opprimi, aut aliis nunc artibus, quam quibus ab initio semper usus est, inciperet regnum suum stabilire. Ex omni enim memoria vix ullum tempus invenire possumus, vel crescentis, vel constitutæ, vel renascentis religionis, quo non veritas atque innocentia indignis modis ab hominibus, et contumeliosissime acciperetur. Videt scilicet Diabolus, veritate incolumi, se incolumem esse et sua tueri non posse.

Nam, ut ne quid de veteribus Patriarchis et Prophetis commemoremus, quorum, uti diximus, nulla pars ætatis fuit a contumeliis et probris libera; scimus fuisse olim quosdam, qui dicerent,[3] et publice prædicarent, veteres Judæos, quos non dubitamus fuisse cultores unius et veri Dei, numinis loco aut suem, aut asinum coluisse, et omnem illam religionem nihil aliud fuisse, quam sacri-

[2] Joh. viii. 44.

[3] Cornel. Tacitus. Tertul. in Apologet. cap. 16; C. Plinius.

legium, et contemptum omnium numinum. Scimus Filium Dei et Servatorem nostrum Jesum Christum, cum doceret veritatem, habitum fuisse pro præstigiatore, pro malefico, pro Samaritano, pro Beelzebub, pro seductore populi,[4] pro homine bibulo et vorace. Et quis nescit, quæ dicta olim fuerint in acerrimum præconem, atque assertorem veritatis, divum Paulum: illum modo hominem seditiosum esse, militem conscribere, secessionem facere: modo esse hæreticum, modo insanire, modo contentionis atque animi causa in Legem Dei blasphemum esse, et Patrum instituta contemnere? Quis nescit divum Stephanum[5] statim, cum penitus intimis animi sensibus veritatem accepisset, et eam cœpisset libere, sicut debuit, et fortiter prædicare et præ se ferre, statim vocatum esse in judicium capitis, quasi qui contumelias nefarie dixisset in Legem, in Mosen, in Templum, in Deum? Aut quis nescit fuisse olim, qui sacras Scripturas arguerent vanitatis, quod in illis dicerent contraria,[6] et plane pugnantia contineri: et Apostolos Christi singulos inter se, Paulum vero ab omnibus dissensisse? Et ne longum sit omnia colligere (id enim esset infinitum) quis nescit, quæ olim convitia jacta fuerint in patres nostros, qui primi

[4] Joh. viii. 48; Mat. xi. 19. [5] Act. vi.; Epiphanius.
[6] Marcion ex Tertulliano. Ælius è Lactant.

cœperunt agnoscere et profiteri nomen Christi; illos inter se conspirare,[7] et occulta consilia inire contra Rempublicam, et ea causa antelucanis horis inter se in tenebris convenire, occidere pueros infantes, explere se humanis carnibus, et ferali ritu bibere humanum sanguinem; postremo extinctis luminibus, adulterium inter se, et incestum promiscue perpetrare, et fratres cum sororibus, filios cum matribus, sine reverentia sanguinis, sine pudore, sine discrimine concumbere; homines impios, sine religione ulla, sine Deo, hostes humani generis, indignos luce, indignos vita?

Ista tum omnia dicebantur in populum Dei, in Christum Jesum, in Paulum, in Stephanum, in eos omnes, quicunque primis temporibus amplexi sunt veritatem Evangelii, et se passi sunt, odioso[8] tum in vulgos nomine, appellari Christianos. Et quamvis ea non essent vera, id tamen Diabolus satis putabat sibi fore, si effecisset saltem, ut crederentur esse vera, utque Christiani publico omnium odio laborarent, et ab omnibus ad exitium quærerentur. Itaque Reges et Principes, hujusmodi tum persuasionibus inducti, occidere Prophetas Dei ad unum omnes: Esaiam ad serram, Hieremiam

[7] Eusebius, lib. v. c. 1; Tertul. Apologet. cap. 1, 2, 3, et 7—9.

[8] Tertul. in Apolog. cap. 3.

ad lapides, Danielem ad leones, Amos ad vectem, Paulum ad gladium, Christum ad crucem, Christianos omnes[9] ad carceres, ad equuleos, ad furcas, ad rupes, ad præcipitia, ad bestias, ad ignes condemnare: et rogos ingentes ex illorum vivis corporibus, tantum ad usum nocturni luminis, et ad ludibrium inflammare; eosque non alio loco numerare, quam quo sordes vilissimas, et catharmata ac ludibria totius mundi. Sic videlicet semper accepti sunt auctores et professores veritatis.

Quo nos animo æquiore ferre debemus, quicunque professionem Evangelii Jesu Christi suscepimus, si in eadem causa ad eundem tractamur modum; utque olim patres nostri, ita nos quoque hodie, nullo nostro merito, tantum quia docemus et profitemur veritatem,[1] convitiis, contumeliis, mendaciis exagitamur.

Clamant hodie passim nos omnes esse hæreticos, discessisse a fide, et novis persuasionibus atque impiis dogmatis Ecclesiæ consensum dissipavisse: nos veteres et jam olim damnatas hæreses ab inferis redivivas restituere, et novas sectas, atque inauditos furores disseminare: jam etiam in contrarias factiones et sententias distractos esse, nec ullo pacto potuisse unquam inter nos ipsos convenire: esse homines impios,

[9] Sueton. Tranquil. in Nerone. [1] 1 Tim. iv.

et Gigantum more, Deo ipsi bellum facere, et prorsus sine omni numinis cura, cultuque vivere: nos omnia recte facta despicere, non virtutis disciplina uti ulla, non legibus, non moribus: non fas, non jus, non æquum, non rectum colere: ad omnia flagitia laxare fræna, et populum ad omne genus licentiæ atque libidinis provocare: nos id agere et quærere, ut monarchiæ et regnorum status evertantur, et omnia ad popularem temeritatem et imperitæ multitudinis dominationem redigantur: nos ab Ecclesia catholica tumultuose defecisse, et nefario schismate orbem terrarum concussisse, et pacem communem, atque otium Ecclesiæ publicum conturbasse: utque olim Dathan et Abiron[2] ab Aarone et Mose, ita nos hodie à Romano Pontifice sine ulla satis justa causa secessionem fecisse: priscorum Patrum et veterum Conciliorum autoritatem pro nihilo putare: ceremonias antiquas a patribus et proavis nostris multis jam seculis, bonis moribus et melioribus temporibus approbatas, temere et insolenter abrogasse: et nostra tantum privata autoritate, injussu sacri et Oecumenici Concilii, novos in Ecclesiam ritus invexisse: atque ista nos omnia, non religionis causa, sed contentionis tantum studio fecisse: Se autem nihil prorsus immutasse; omnia vero

[2] Num. xvi.

ut ab Apostolis tradita, et ab antiquissimis Patribus approbata fuerint, ad hunc usque diem per tot secula retinuisse.

Neve res calumniis tantum agi, et ad invidiam nostram in angulis solum jactari videretur, subornati sunt a Romanis Pontificibus homines quidam satis diserti, et non indocti, qui ad causam desperatam accederent, et eam libris et longis orationibus exornarent: ut cum eleganter et copiose ageretur, homines imperiti possent, in ea aliquid esse, suspicari. Videbant, scilicet, ubique terrarum causam suam inclinare, artes suas jam videri et minoris putari, et præsidia sua in singulos dies labefactari; et omnino causam magnopere egere patrocinio. Eorum autem, quæ ab illis in nos dicuntur, partim manifeste falsa sunt, et ipsorum, a quibus dicuntur, judicio condemnata: partim, etsi falsa sunt illa quoque, tamen speciem veri aliquam et similitudinem præ se ferunt, ut in illis incautus lector (maxime vero, si accedat istorum composita et elegans oratio) facile circumveniri, et errare possit; partim vero sunt ejusmodi, ut ea nos non tamquam crimina refugere, sed tanquam recte atque optima ratione facta, agnoscere et profiteri debeamus. Nam, ut uno verbo quod res est dicamus, isti omnia nostra, etiam ea, quæ ne ipsi quidem negare possunt recte atque ordine esse facta, calumniantur; et quasi nihil

a nobis aut fieri aut dici recte possit, ita dicta nostra, factaque omnia malitiose depravant. Simplicius quidem et candidius agendum erat, si vere agere voluissent. Nunc autem nec vere, nec ingenue, nec Christiano more modoque, sed obscure et veteratorie, mendaciis nos oppugnant: et cæcitate populi et inscitia, atque ignorantia Principum, ad odium nostri et ad opprimendam veritatem abutuntur. Est hæc potestas tenebrarum, et hominum stupore magis imperitæ multitudinis, et tenebris, quam veritate aut luce fidentium, utque Hieronymus ait, clausis oculis veritati perspicue contradicentium.

Nos vero Deo Optimo Maximo gratias agimus, eam esse causam nostram, in quam isti cum cuperent, nullam contumeliam possent dicere, quæ non eadem in Sanctos Patres, in Prophetas, in Apostolos, in Petrum, in Paulum, in Christum ipsum torqueri posset.

Jam vero si istis ad maledicendum disertis et eloquentibus esse licet, nos in optima nostra causa, ad vere respondendum, haud sane convenit esse mutos. Negligere enim quid de se suaque causa, quamvis false et calumniose, dicatur (præsertim cum id ejusmodi sit, ut in eo Dei majestas et religionis negotium violetur) hominum est dissolutorum, et ad injurias divini nominis secure atque impie conniventium. Etsi enim aliæ injuriæ sæpe magnæ ab homine mo-

desto et Christiano ferri ac dissimulari possint: tamen hæreseós notam qui dissimulet, eum Ruffinus negare solebat esse Christianum. Faciemus ergo nunc id, quod omnes leges, quod vox naturæ ipsa jubet fieri, quodque Christus ipse in simili causa contumeliis appetitus fecit, ut istorum criminationes propulsemus; ut causam innocentiamque nostram modeste et vere tueamur. Nam Christus quidem, cum a Pharisæis accusaretur veneficii, quasi consuetudinem haberet cum Dæmonibus, et illorum ope multa faceret; "Ego (inquit)[3] Dæmonium non habeo, sed glorifico Patrem meum; vos autem affecistis me ignominia." Et Paulus, cum a Festo Proconsule contemneretur ut insanus; "Ego (inquit)[4] optime Feste, non insanio, ut tu putas, sed veritatis et sobrietatis verba loquor." Et Christiani veteres cum pro homicidis, adulteris, incestis, rerum publicarum perturbatoribus ad populum traducerentur, et viderent hujusmodi criminationibus in dubium vocari posse religionem quam profitebantur; maxime vero, si tacere viderentur, et quodammodo crimen agnoscere; ne ea res Evangelii cursum impediret, habuerunt orationes,[5] scripserunt libros supplices, apud Imperatores et Principes verba fecerunt, ut se suosque publice defenderent.

[3] Joh. viii. 49. [4] Act. xxvi. 25.
[5] Quadratus, Justinus, Melito, Tertull. aliique.

Nos vero cum proximis istis viginti annis, tot millia nostrorum fratrum inter exquisitissimos cruciatus testimonium dixerint veritati; et Principes, cum frænare cuperent Evangelium, multa moliendo nihil egerint; et totus jam prope terrarum orbis ad aspiciendam lucem oculos incipiat aperire; satis jam dictam et defensam putamus esse causam nostram: cumque res ipsa satis pro se loquatur, non multum opus esse verbis. Nam si Pontifices ipsi vellent, aut etiam si possent, rem ipsam secum, et initia progressusque Religionis nostræ cogitare, quemadmodum sua pene omnia, nullo impellente, sine ulla humana ope ceciderint; nostra vero invitis ab initio Imperatoribus, invitis tot Regibus, invitis Pontificibus, invitis prope omnibus, incrementa ceperint, et paulatim in omnes terras propagata fuerint, atque etiam postremo in Regum jam aulas et palatia pervenerint; vel hæc ipsa satis illis magna indicia esse possent, Deum ipsum pro nobis propugnare, et ipsorum conatus de cœlo ridere, et eam esse vim veritatis, quam nec humanæ vires, nec inferorum portæ possunt convellere. Non enim insaniunt hodie tot Civitates liberæ, tot Reges, tot Principes, qui a sede Romana defecerunt, et se potius ad Christi Evangelium adjunxerunt.

Neque tamen si Pontificibus otium hactenus nunquam fuit de istis rebus attente et serio cogitandi, aut si nunc aliæ illos curæ impediunt, et

diverse distrahunt, aut si ista studia vulgaria et levia esse putant, et nihil ad dignitatem Pontificiam pertinere, idcirco causa nostra debet videri deterior? Aut si illi quod vident, videre forte nolunt, et veritatem agnitam potius oppugnant, idcirco nos habendi statim sumus pro hæreticis, qui illorum voluntati non obsequimur? Quod si Pius Pontifex[6] is esset, non dicimus, quem se tantopere dici cupit; sed si is omnino esset, qui nos vel fratres suos, vel omnino homines esse duceret, rationes prius nostras, et quid a nobis, quid contra nos dici posset, diligenter expendisset; ac non ita temere cæcis tantum præjudiciis, bonam partem orbis terrarum, tot doctos et pios viros, tot Respublicas, tot Reges, tot Principes in Bulla illa sua, qua nuper simulabat Concilium, inauditos, indicta causa, condemnasset.

Verum, ne, quia ad hunc modum publice ab illo notati sumus, tacendo videamur crimen confiteri, et præsertim quia in publico Concilio, in quo ille nemini mortalium jus esse vult ferendi suffragii, sententiæque dicendæ, nisi jurato addictoque potestati suæ, audiri nullo modo possumus (id enim proximis Comitiis Tridentinis nimium experti sumus, cum Principum Germaniæ, et liberarum Civitatum legati, et theologi prorsus ab omni conventu excluderentur: neque adhuc

[6] Pius IV.

oblivisci possumus, Julium tertium ante decem annos diligenter cavisse rescripto suo, ne quis nostrorum hominum in Concilio audiretur, nisi si quis forte esset, qui vellet palinodiam canere, et mutare sententiam:) vel ea maxime causa visum est nobis rationem fidei nostræ scripto reddere, et ad ea, quæ nobis publice objecta sunt, vere, ac publice respondere; ut orbis terrarum videre possit partes et fundamenta ejus doctrinæ, cui tot boni viri postposuerunt vitam suam; utque omnes intelligant cujusmodi tandem homines illi sint, quidque de Deo et Religione sentiant, quos Romanus Episcopus, antequam vocarentur ad dicendam causam, non satis considerate, nullo exemplo, nullo jure, tantum quod illos audiret a se suisque in aliqua parte Religionis discrepare, condemnavit pro hæreticis.

Et quamvis D. Hieronymus in suspicione hæreseos neminem velit esse patientem: nos tamen nec acerbe, aut dicaciter agemus, nec efferemur iracundia: quamquam nec acerbus, nec dicax videri debet, qui vera dicit. Istam eloquentiam libentius relinquimus adversariis nostris, qui quicquid in nos dicant, quantumvis id acerbe aut contumeliose dictum sit, tamen satis modeste et apposite dictum putant: verene an falso, nihil curant. Nobis his artibus opus non est, qui veritatem defendimus.

Quod si docemus sacrosanctum Dei Evange-

lium, et veteres Episcopos, atque Ecclesiam Primitivam nobiscum facere; nosque non sine justa causa et ab istis discessisse, et ad Apostolos, veteresque Catholicos Patres rediisse; idque non obscure, aut vafre, sed bona fide coram Deo, vere, ingenue, dilucide, et perspicue facimus: si illi ipsi qui nostram doctrinam fugiunt, et sese Catholicos dici volunt, aperte videbunt omnes illos titulos antiquitatis, de quibus tantopere glorientur, sibi excuti de manibus, et in nostra causa plus nervorum fuisse quam putarint: speramus, neminem illorum ita negligentem fore salutis suæ, quin ut velit aliquando cogitationem suscipere, ad utros potius se adjungat. Certe quidem, nisi quis plane animo obduruerit, et audire nolit, eum non pœnitebit, animum ad defensionem nostram advertere, et quid a nobis, quamque ad religionem Christianam convenienter, apteque dicatur, attendere.

Nam quod nos appellant hæreticos, est illud crimen ita grave, ut nisi videatur, nisi palpetur, nisi manibus digitisque teneatur, credi facile de homine Christiano non debeat. Est enim hæresis destitutio salutis, abjectio gratiæ Dei, discessio a corpore et spiritu Christi. Sed fuit hoc semper istis, et illorum patribus familiare ac solenne, ut si qui essent, qui de illorum erroribus quererentur, et religionem cuperent restitutam, eos statim quasi novatores rerum et homines fac-

terrogentur, inquit, Scripturæ: interrogentur Apostoli, interrogentur Prophetæ, interrogetur Christus. Non dubitabant, videlicet, tum temporis, Catholici Patres et Episcopi, religionem nostram satis e divinis Scripturis probari posse: nec unquam illi quenquam habere ausi sunt pro hæretico, cujus errorem non possent ex iisdem illis Scripturis perspicue et liquido coarguere. Nos quidem, ut cum D. Paulo[5] respondeamus, juxta hanc viam, quam isti appellant hæresin, colimus Deum, et Patrem Domini nostri Jesu Christi, et recipimus omnia, quæ aut in Lege, aut in Prophetis, aut in Apostolorum libris scripta sunt.

Quare si nos sumus hæretici, si isti sunt (quod appellari volunt) Catholici, cur non faciunt id, quod vident Patres, Catholicos viros, semper fecisse? Cur nos e sacris Scripturis non convincunt? Cur nos ad illarum examen non revocant? Cur nos non ostendunt a Christo, a Prophetis, ab Apostolis, a sanctis Patribus discessisse? Quid hærent? Quid fugiunt? Est Dei causa: cur eam dubitant permittere verbo Dei? Quod si nos sumus hæretici, qui omnes nostras controversias referimus ad Sacras literas, quique ad illas ipsas voces, quas scimus a Deo ipso consignatas esse, provocamus, et illis alia omnia,

[5] Act. xxiv. 14.

quæcunque possunt ab hominibus excogitari, postponimus: quid istos, quos tandem homines aut quales convenit appellari, qui Sacrarum Scripturarum, hoc est, Dei ipsius judicium reformidant, et sua illis Somnia et frigidissima Commenta anteponunt, et traditionum suarum causa, Christi atque Apostolorum instituta aliquot jam secula violarunt? Aiunt Sophoclem Poetam tragicum, cum jam senex esset, et accusaretur apud judices a filiis suis pro deliro, et fatuo, quasi qui rem suam familiarem temere profunderet, et opus jam habere videretur curatore; ut se purgaret eo crimine, venisse in judicium, et cum pronunciasset Oedipum Coloneum, tragœdiam a se illis ipsis diebus, cum accusaretur, valde elaborate et pereleganter scriptam, ultro interrogasse judices, num illud carmen videretur esse hominis delirantis.

Ita nos quoque, quoniam istis furere videmur, et ab illis traducimur pro hæreticis, quasi quibus nihil jam rei sit nec cum Christo, nec cum Ecclesia Dei, non alienum aut inutile fore existimavimus, si aperte et libere proponamus fidem nostram in qua stamus, et omnem illam spem quam habemus in Christo Jesu: ut omnes videre possint, quid nos de quaque parte religionis Christianæ sentiamus, et statuere secum ipsi possint, an ea fides, quam videbunt et verbis Christi, et Apostolorum scriptis, et catholicorum Patrum

testimoniis, et multorum seculorum exemplis confirmatam, tantum sit rabies quædam hominum furentium, et conspiratio hæreticorum.

Credimus ergo, unam quandam naturam esse, et vim divinam, quam appellamus Deum; eamque in tres personas æquales distinctam esse, in Patrem, in Filium, in Spiritum Sanctum, ejusdem omnes potestatis, ejusdem majestatis, ejusdem æternitatis, ejusdem divinitatis, ejusdem substantiæ. Et quamvis tres illæ personæ ita distinctæ sint, ut nec Pater sit Filius, nec Filius sit Spiritus Sanctus aut Pater: Deum tamen esse unum, et illum unum creasse cœlum, et terram, et omnia quæ cœli complexu continentur.

Credimus Jesum Christum Filium unicum æterni Patris, quemadmodum jam olim ante omnia initia decretum fuerat, cum venisset plenitudo temporis, suscepisse carnem, et omnem naturam humanam, ex beata illa et pura Virgine, ut indicaret hominibus arcanam, et reconditam voluntatem Patris sui, quæ abdita fuerat a seculis et generationibus; utque in humano corpore perageret mysterium redemptionis nostræ; et peccata nostra, et Syngrapham illam quæ erat scripta contra nos, affigeret ad crucem.

Eum credimus nostra causa esse mortuum, sepultum, descendisse ad inferos, tertia die vi divina rediisse ad vitam, et resurrexisse; post quadraginta dies, spectantibus discipulis, ascen-

disse in cœlum, ut impleret omnia, et corpus illud ipsum, in quo natus, in quo versatus, in quo ludibrio habitus, in quo gravissimos cruciatus, et dirum genus mortis[6] passus fuerat, in quo resurrexerat, in quo ascenderat ad Patris dextram, supra omnem principatum et potestatem, et virtutem, et dominationem, et omne nomen quod nominatur, non solum in hoc seculo, sed etiam in futuro, in majestate et gloria collocasse: ibi eum nunc sedere, et sessurum esse,[7] donec omnia perficiantur. Et quamvis Majestas et Divinitas Christi ubique diffusa sit, tamen corpus ejus, ut Augustinus ait,[8] in uno loco esse oportere: Christum corpori suo majestatem dedisse, naturam tamen corporis non ademisse: neque ita[9] asserendum esse Christum Deum, ut eum negemus esse hominem, utque ait Martyr Vigilius;[1] Christum humana sua natura nos reliquisse; divinitate autem non reliquisse; eumque cum absit a nobis[2] per formam servi, tamen semper esse nobiscum per formam Dei.

Ab illo loco credimus Christum rediturum esse ad exercendum publicum illud judicium, tam de illis quos inveniet adhuc in corpore superstites, quam de mortuis.

Credimus Spiritum Sanctum, qui est tertia

[6] Aug. Tract. 50 in Joh.

[7] Act. iii. 21.

[8] Aug. Tract. 30 in Joh.

[9] Ad Dardan.

[1] Contra Eutych. lib. 1.

[2] Fulgentius ad Regem Thrasymundum.

persona in sacra Triade, illum verum esse Deum; non factum, non creatum, non genitum, sed ab utroque, Patre, scilicet, et Filio, ratione quadam mortalibus incognita ac ineffabili, procedentem. Illius esse duritiem humani cordis emollire, quum aut per salutiferam prædicationem Evangelii, aut alia quacunque ratione in pectora hominum recipitur: illum eos illuminare, et in agnitionem Dei, atque in omnem viam veritatis et in totius vitæ novitatem, et perpetuam salutis spem perducere.

Credimus, unam esse Ecclesiam Dei, eamque, non ut olim apud Judæos, in unum aliquem angulum aut regnum conclusam; sed catholicam atque universalem esse, et diffusam in totum terrarum orbem, ut nulla nunc natio sit quæ possit vere conqueri, se exclusam esse, et non posse ad Ecclesiam, et populum Dei pertinere. Eam Ecclesiam esse Regnum, esse Corpus, esse Sponsam Christi: ejus regni Christum solum esse Principem: ejus corporis Christum solum esse caput: ejus Sponsæ Christum solum esse Sponsum. Varios in Ecclesia esse ordines Ministrorum: alios esse Diaconos, alios Presbyteros, alios Episcopos, quibus institutio populi et religionis cura et procuratio commissa sit; neminem tamen unum nec esse, nec esse posse, qui summæ rerum universæ præsit: nam et Christum semper adesse Ecclesiæ suæ, et Vicario homine, qui ex asse in

integrum succedat, non egere: et neminem mortalem posse existere, qui universam Ecclesiam, hoc est, omnes partes orbis terrarum, vel animo complecti, nedum ordine collocare, et recte ac commode administrare possit: Apostolos, ut Cyprianus ait,[3] pari omnes inter se fuisse potestate; atque hoc idem fuisse alios, quod Petrus fuit; omnibus ex æquo dictum fuisse, Pascite; omnibus, Ite in mundum universum; omnibus, Docete Evangelium; et ut ait Hieronymus,[4] Omnes episcopos, ubicunque tandem sint, sive Romæ, sive Eugubii, sive Constantinopolis, sive Rhegii, ejusdem esse meriti, ejusdem sacerdotii. Utque Cyprianus ait;[5] Episcopatum unum esse, et ejus partem in solidum teneri a singulis: et de sententia Nicæni Concilii, Romanum episcopum nihilo plus juris in Ecclesiam Dei obtinere, quam reliquos Patriarchas, Alexandrinum, et Antiochenum: Romanum vero episcopum, qui nunc ad se unum omnia revocat, nisi officium faciat, nisi administret sacramenta, nisi instituat populum, nisi moneat, nisi doceat, ne episcopum quidem, aut omnino presbyterum jure dicendum esse. Episcopum enim, ut Augustinus ait,[6] nomen esse operis, non honoris: ut ille se intelligat non esse Episcopum, qui velit præesse, et non prodesse. Caput vero Ecclesiæ totius, aut

[3] De Simplicitate Prælatorum.
[4] Ad Evagrium.
[5] De Simplicitate Prælatorum.
[6] 1 Tim. iii. 1, &c.

Universalem Episcopum, non magis aut illum, aut alium quemvis mortalem esse posse, quam sponsum, quam lucem, quam salutem, quam vitam Ecclesiæ. Hæc enim esse Christi unius privilegia, et nomina, et illi uni proprie atque unice convenire: neque unquam quenquam Romanum episcopum, ante Phocam Imperatorem (quem scimus, interfecto Imperatore Mauricio domino suo, per nefarium scelus ad imperium adspirasse) hoc est, ante sexcentesimum decimum tertium annum a Christo nato, unquam passum fuisse sese tam superbo nomine salutari: Concilium etiam Carthaginense[7] diserte cavisse, ne quis Episcopus, aut summus Pontifex, aut primus sacerdos diceretur: Episcopum vero Romanum, quoniam ita hodie dici vult, et alienam potestatem sibi vindicat; præterquam quod aperte facit contra vetera Concilia, contraque Patres, (si Gregorio[8] suo velit credere) nomen arrogans, profanum, sacrilegum, Antichristianum, sibi imponere; esse Regem superbiæ, esse Luciferum, qui se fratribus suis anteponat; abjecisse fidem; esse præcursorem Antichristi.

Ministrum legitime vocari oportere, et recte atque ordine præfici Ecclesiæ Dei: neminem autem ad sacrum Ministerium pro suo arbitrio, et libidine posse se intrudere. Quo major nobis

[7] Cap. 47. [8] Gregor. lib. 4. Epist. 76, 78, 80.

ab istis fit injuria, quibus nihil sæpius in ore est, quam apud nos nihil ordine, nihil decenter, omnia confuse ac perturbate fieri; omnes apud nos esse Sacerdotes, omnes esse Doctores, omnes esse Interpretes.

Ministris a Christo datum esse dicimus ligandi, solvendi, aperiendi, claudendi potestatem. Ac solvendi quidem munus in eo situm esse, ut minister, vel dejectis animis et vere resipiscentibus, per Evangelii prædicationem, merita Christi, absolutionemque offerat, et certam peccatorum condonationem, ac spem salutis æternæ denunciet: aut ut eos qui gravi scandalo, et notabili publicoque aliquo delicto fratrum animos offenderint, et sese a communi societate Ecclesiæ, et a Christi corpore quodammodo abalienarint, resipiscentes reconciliet, et in fidelium cœtum atque unitatem recolligat ac restituat. Ligandi vero illum claudendique potestatem exercere dicimus, quoties vel incredulis et contumacibus regni cœlorum januam occludit, illisque vindictam Dei, et sempiternum supplicium edicit, vel publice excommunicatos ab Ecclesiæ gremio excludit. Sententiam autem, quamcunque ministri Dei ad hunc modum tulerint, Deus ipse ita comprobat, ut quicquid hic illorum opera solvitur et ligatur in terris, idem ipse solvere et ligare velit, et ratum habere in cœlis. Claves autem quibus aut claudere regnum cœlorum, aut aperire possint,

ut Chrysostomus ait, dicimus esse scientiam Scripturarum: ut Tertullianus, esse interpretationem Legis: ut Eusebius, esse verbum Dei. Accepisse autem discipulos Christi hanc potestatem, non ut audirent arcanas populi confessiones, aut captarent murmura, quod sacrificuli nunc omnes passim faciunt, atque ita faciunt, quasi in eo solo sita sit omnis vis atque usus clavium; sed ut irent, ut docerent, ut publicarent Evangelium, ut essent credentibus odor vitæ ad vitam; ut essent incredulis atque infidelibus odor mortis ad mortem; ut piorum animi conscientia superioris vitæ et errorum consternati, postquam adspicere cœpissent lucem Evangelii, et in Christum credere, ut fores clave, ita illi verbo Dei aperirentur: impii autem et contumaces, quique nollent credere et redire in viam, quasi obserati et clausi relinquerentur, et proficerent, ut Paulus ait,[9] in deterius. Hanc esse rationem clavium; hoc pacto aut aperiri aut claudi hominum conscientias; sacerdotem quidem esse judicem, nullius tamen eum potestatis, ut ait Ambrosius,[1] jus obtinere: idcirco Christum his verbis increpuisse Scribas et Pharisæos, ut coargueret illorum in docendo negligentiam: Væ (inquit)[2] vobis Scribæ et Pharisæi, qui abstulistis claves scientiæ,

[9] 2 Tim. iii. 13.
[1] De Pœniten. dist. 1. c. Verbum Dei.
[2] Luc. xi. 52. Mat. xxiii. 13.

et clausistis regnum cœlorum coram hominibus. Cumque clavis, qua aditus nobis aperitur ad regnum Dei, sit verbum Evangelii, et interpretatio Legis et Scripturarum, ubi non sit verbum, ibi dicimus non esse clavem: et cum unum omnibus datum sit verbum, unaque sit omnium clavis, unam esse ministrorum omnium, quod quidem ad aperiendum, aut claudendum attinet, potestatem: imo etiam Pontificem ipsum, quamvis illi suaviter cantillentur illa verba a parasitis suis, Tibi dabo[3] claves regni cœlorum, ac si eæ illi uni, et præterea mortalium nemini convenirent; nisi id agat, ut hominum flectantur conscientiæ, et succumbant verbo Dei, negamus aut aperire, aut claudere, aut omnino habere claves. Et quamvis doceat, et instituat populum (quod utinam aliquando et vere faciat, et inducat aliquando animum, esse eam aliquam saltem partem officii sui) tamen ejus clavem nihilo aut meliorem aut majorem esse, quam aliorum. Quis enim illum discrevit? Quis illum docuit doctius aperire, aut melius absolvere, quam fratres suos?

Matrimonium in omni genere et statu hominum, in Patriarchis, in Prophetis, in Apostolis, in Sanctis Martyribus, in Ministris Ecclesiarum, in Episcopis, sanctum et honorificum esse dicimus; et, ut Chrysostomus ait,[4] fas et jus esse cum eo

[3] Mat. xvi. 19.

[4] In Titum primo, hom. 11; Theoph. ad Titum primo; Eus. lib. xviii. cap. 5, in monodia sua super Basilium.

ad Cathedram Episcopalem ascendere; utque Sozomenus ait de Spiridione, et Nazianzenus de patre suo, Episcopum pium et industrium nihilo deterius ea causa, imo melius etiam, et utilius versari in Ministerio. Legem autem illam quæ hominibus eam libertatem per vim adimat, et invitos adigat ad cœlibatum, esse, ut divus Paulus ait,[5] doctrinam dæmoniorum; et ex eo (quod Episcopus Augustinus, Faber, Abbas Panormitanus, Latomus, opus illud tripartitum quod adjunctum est secundo Tomo Conciliorum, aliique Pontificiarum partium satellites, resque adeo ipsa, et omnes historiæ confitentur) incredibilem vitæ ac morum impuritatem in Ministris Dei, et horrenda flagitia esse consecuta: et recte dixisse Pium secundum[6] Romanum Episcopum, videre se multas causas, cur eripiendæ fuerint uxores Sacerdotibus, multo autem et plures videre, et graviores, cur sint reddendæ.

Recipimus et amplectimur omnes Canonicas Scripturas, et Veteris et Novi Testamenti. Deoque nostro gratias agimus, qui eam lucem nobis excitarit, quam semper haberemus in oculis, ne vel humana fraude, vel insidiis Dæmonum, ad errores et fabulas abduceremur: eas esse cœlestes voces, per quas Deus voluntatem suam nobis patefecerit: in illis solis posse hominum animos

[5] 1 Tim. iv. 1, 3. [6] Platina in Pii 2, vita.

acquiescere: in illis ea omnia, quæcunque ad nostram salutem sint necessaria, ut Origenes, Augustinus, Chrysostomus, Cyrillus docuerunt, cumulate et plene contineri: eas esse vim et potentiam[7] Dei ad salutem: eas esse fundamenta Prophetarum et Apostolorum, in quibus ædificata sit Ecclesia Dei: eas esse certissimam normam, ad quam ea, si vacillet aut erret, possit exigi, et ad quam omnis doctrina ecclesiastica debeat revocari: contra eas nec legem, nec traditionem, nec consuetudinem ullam audiendam esse:[8] ne, si Paulus quidem ipse, aut Angelus de cœlo veniat, et secus doceat.

Recipimus sacramenta Ecclesiæ, hoc est, sacra quædam signa et cæremonias, quibus Christus nos uti voluit, ut illis, mysteria salutis nostræ, nobis ante oculos constitueret, et fidem nostram, quam habemus in ejus sanguine, vehementius confirmaret, et gratiam suam in cordibus nostris obsignaret. Eaque cum Tertulliano, Origene, Ambrosio, Augustino, Hieronymo, Chrysostomo, Basilio, Dionysio, aliisque catholicis Patribus, figuras, signa, symbola, typos, antitypa, formas, sigilla, signacula, similitudines, exemplaria, imagines, recordationes, memorias appellamus. Nec dubitamus etiam cum eisdem dicere, esse illa † visibilia quædam verba, signacula justitiæ, sym-

[7] Rom. i. 16. [8] Gal. i. 8.

† Aug. c. Faust. xix. 16. v. R. H. vol. 2. p. 328, 329, (Ed. Keble) note 88.

bola gratiæ: diserteque pronunciamus, in Cœna credentibus vere exhiberi corpus et sanguinem Domini, carnem Filii Dei, vivificantem animas nostras, cibum superne venientem, immortalitatis alimoniam, gratiam, veritatem, vitam: eamque communionem esse corporis et sanguinis Christi, cujus participatione vivificamur, vegetamur, et pascimur ad immortalitatem, et per quam conjungimur, unimur, et incorporamur Christo, ut nos in illo maneamus, et ille in nobis.

Duo autem sacramenta, quæ eo nomine proprie censenda sint, agnoscimus; Baptismum, et Eucharistiam. Tot enim videmus tradita esse et consecrata a Christo, et a veteribus Patribus, Ambrosio, et Augustino, approbata.

Et Baptismum quidem Sacramentum esse remissionis peccatorum, et ejus ablutionis quam habemus in Christi sanguine; et ab eo neminem qui velit profiteri nomen Christi, ne infantes quidem Christianorum hominum, quoniam nascuntur in peccato, et pertinent ad populum Dei, arcendos esse.

Eucharistiam esse Sacramentum, hoc est, symbolum conspicuum corporis et sanguinis Christi, in quo subjicitur quodammodo oculis nostris mors Christi, et ejus resurrectio, et quæcunque gessit in humano corpore: ut de ejus morte et nostra liberatione gratias agamus, et frequentatione Sacramentorum, ejus rei memoriam assidue

renovemus; ut vero Christi corpore et sanguine alamur, in spem resurrectionis et vitæ æternæ, utque pro certissimo habeamus, id esse animis nostris alendis corpus et sanguinem Christi, quod alendis corporibus est panis et vinum. Ad hoc epulum invitandum esse populum, ut omnes inter se communicent, et societatem suam inter se, spemque eam quam habent in Christo Jesu, publice significent, et testificentur. Itaque si quis fuisset, qui spectator tantum esse vellet, et a sacra Communione abstineret, illum veteres Patres,[9] et Romanos Episcopos in Primitiva Ecclesia, antequam nata esset privata Missa, tanquam improbum atque Ethnicum excommunicasse: neque ullum fuisse eo tempore hominem Christianum, qui cæteris spectantibus, communicaret solus. Ita olim decrevit Calixtus,[1] ut peracta consecratione, omnes communicarent, nisi mallent carere Ecclesiasticis liminibus. Sic enim ait[2] Apostolos statuisse, et sanctam Romanam Ecclesiam tenere. Populo vero ad sacram Communionem accedenti, utramque partem Eucharistiæ tradendam esse. Id enim et Christum jussisse, et Apostolos ubique terrarum instituisse, et omnes veteres Patres, et catholicos Episcopos secutos esse: et si quis

[9] Chrysost. ad Ephes. ser. 3. De Cons. dist. 1. cap. Omnes.
[1] Dist. 2, cap. Seculares.
[2] De Cons. dist. 2. cap. Peracta.

contra faciat, eum, ut Gelasius ait, committere sacrilegium:[3] et adversarios hodie nostros, qui explosa atque abdicata communione, sine verbo Dei, sine veteri Concilio, sine ullo catholico Patre, sine exemplo Primitivæ Ecclesiæ, sine etiam ratione, privatas Missas et mutilationem[4] Sacramentorum defendant, idque non tantum contra expressum mandatum et jussum Christi, sed etiam contra omnem antiquitatem faciant, improbe facere, et esse sacrilegos.

Panem et Vinum dicimus esse sacra et cœlestia mysteria corporis et sanguinis Christi; et illis Christum ipsum, verum panem æternæ vitæ, sic nobis præsentem exhiberi, ut ejus corpus, sanguinemque per fidem vere sumamus: non tamen id ita dicimus, quasi putemus naturam panis et vini prorsus immutari atque abire in nihilum, quemadmodum multi proximis istis seculis somniarunt, neque adhuc potuerunt unquam satis inter se de suo somnio convenire. Neque enim id Christus egit, ut panis triticeus abjiceret naturam suam, ac novam quandam divinitatem indueret; sed ut nos potius immutaret, utque Theophylactus[5] loquitur, transelementaret in corpus suum. Quid enim magis perspicue dici potest, quam quod Ambrosius ait,[6] Panis et

[3] De Cons. dist. 1, cap. Comperimus.
[4] Alit. *multitudinem.*
[5] In Joh. vi.
[6] De Sacra, lib. iv. c. 4.

r. v. R. H. ET. V. lxvii. §. 11.

Vinum sunt quæ erant, et in aliud commutantur? aut quod Gelasius,[7] Non desinit esse substantia panis, vel natura vini: aut quod Theodoretus,[8] Post sanctificationem mystica symbola naturam suam propriam non abjiciunt: manent enim in priori sua substantia, et figura, et specie: aut quod Augustinus, Quod videtis, panis est et calix,[9] quod etiam oculi renunciant: quod autem fides vestra postulat instruenda, Panis est corpus Christi, calix sanguis: aut quod Origines,[1] Ille panis qui sanctificatur per verbum Dei, quod quidem ad materiam attinet, in ventrem abit, et in secessum ejicitur: aut quod Christus non tantum post consecrationem calicis, sed etiam post communionem[2] dixit, Non bibam amplius de hac generatione vitis.[3] Certum enim est ex vite progenerari vinum, non sanguinem. Nec tamen cum ista dicimus, extenuamus Cœnam Domini, aut eam frigidam tantum ceremoniam esse docemus, et in ea nihil fieri; quod multi nos docere calumniantur. Christum enim asserimus, vere sese præsentem exhibere in Sacramentis suis: in Baptismo, ut eum induamus: in Cœna, ut eum fide et spiritu comedamus, et de ejus cruce ac sanguine habeamus vitam æternam:

[7] In Dialog. 1 et 2.
[8] In Serm. ad infan.
[9] De Cons. dist. 2, cap. Qui manducant.
[1] In Mat. xv. 11.
[2] Alit. *communicationem.*
[3] Luc. xxii. 18.

idque dicimus non perfunctorie, et frigide, sed re ipsa et vere fieri. Etsi enim Christi corpus dentibus et faucibus non attingimus, eum tamen fide, mente, spiritu, tenemus et premimus. Neque vero vana ea fides est, quæ Christum complectitnr, nec frigide percipitur, quod mente, fide, et spiritu percipitur. Ita enim nobis in illis mysteriis, Christus ipse totus, quantus quantus est, offertur et traditur, ut vere sciamus, esse jam nos carnem de ejus carne, et os de ossibus ejus, et Christum in nobis manere, et nos in illo.

Itaque in peragendis mysteriis antequam ad sacram Communionem veniatur, recte admonetur populus, ut sursum[4] habeant corda, et animos in cœlum dirigant: ibi enim esse illum, de quo nos oporteat satiari ac vivere. Et Cyrillus in percipiendis mysteriis, excludendas esse ait crassas cogitationes. Et Concilium Nicænum, ut græce citatur a quibusdam, diserte vetat, ne humiliter intenti simus ad propositum panem et vinum. Et ut Chrysostomus recte scribit, corpus Christi dicimus esse cadaver, nos oportere esse aquilas, ut intelligamus in altum subvolandum esse, si velimus ad Christi corpus accedere. Hanc enim aquilarum esse mensam, non graculorum. Et Cyprianus, Hic, inquit,[5] panis, cibus mentis est, non cibus ventris. Et Augustinus, Quomodo,

[4] De Cons. dist. 1. cap. Quando.
[5] De Cœna Domini.

inquit,[6] tenebo absentem? Quomodo in cœlum mittam manum, ut ibi sedentem teneam? Fidem, inquit, mitte, et tenuisti.

Nundinationes vero et auctiones Missarum, et circumgestationes atque adorationes panis, et alias idololatricas et blasphemas ineptias, quas nemo istorum affirmare potest Christum et Apostolos tradidisse, in Ecclesiis nostris non ferimus: et Episcopos Romanos recte reprehendimus, qui sine verbo Dei, sine autoritate Sanctorum Patrum, sine exemplo, novo more, non tantum proponunt populo panem Eucharisticum divino cultu adorandum,[7] sed etiam illum in equo gradario, quocunque ipsi iter faciunt, ut olim ignem Persicum, aut Isidis sacra, circumferunt, et Christi sacramenta ad scenam jam, et pompam traduxerunt; ut in ea re, in qua mors Christi inculcanda et celebranda erat, et in qua mysteria redemptionis nostræ sancte ac reverenter erant agitanda, hominum oculi nihil aliud quam insanis spectaculis, et ludicra levitate pascerentur. Quod autem dicunt, et interdum etiam stultis persuadent, sese Missis suis posse distribuere atque applicare hominibus (sæpe etiam nihil de ea re cogitantibus, nec quid agatur intelligentibus) omnia merita mortis Christi, et ridiculum, et ethnicum, et ineptum est. Fides enim nostra

[6] In Joan. tract. 50.
[7] Libro de Cæremoniis Ecclesiæ Rom.

mortem et crucem Christi nobis applicat, non actio sacrificuli: Fides, inquit Augustinus,[8] sacramentorum justificat, non sacramentum. Et Origenes, Ille, inquit, est sacerdos, et propitiatio, et hostia, quæ propitiatio ad unumquemque venit per viam fidei. Atque ad hunc modum, sine fide, ne vivis quidem prodesse dicimus sacramenta Christi: mortuis vero multo minus.[9] Nam quod de Purgatorio isti suo jactare solent, etsi illud scimus non ita novum esse, tamen non aliud quam fatuum et anile commentum est. Augustinus quidem, modo hujusmodi quendam locum esse, ait; modo posse esse, non negat; modo dubitat, modo prorsus pernegat, et in eo homines humana quadam benevolentia putat falli. Tamen ab hoc errore uno, tanta crevit seges sacrificulorum, ut cum in omnibus angulis Missæ palam et publice venderentur, templa Dei facta fuerint tabernæ meritoriæ, et miseris mortalibus persuasum fuerit, nihil prorsus esse vendibilius: istis quidem certe nihil erat utilius.

De multitudine otiosarum cæremoniarum, scimus Augustinum[1] graviter suo tempore conquestum esse. Itaque nos magnum earum numerum resecavimus, quod illis sciremus affligi conscientias hominum, et gravari Ecclesiam Dei.

[8] Ad Rom. cap. 3. lib. iii.
[9] Aug. in Psal. 85. In Enchiridio, cap. 6, 7. De Civitate Dei, lib. xxi. c. 26. Contra Pelagianos, lib. Hypognosticon 5.
[1] Ad Janu. Epis. 119.

Retinemus tamen et colimus, non tantum ea quæ scimus tradita fuisse ab Apostolis, sed etiam alia quædam, quæ nobis videbantur sine Ecclesiæ incommodo[2] ferri posse: quod omnia cuperemus in sacro cœtu, ut Paulus jubet,[3] decenter, atque ordine administrari. Ea vero omnia, quæ aut valde superstitiosa, aut frigida, aut spurca, aut ridicula, aut cum sacris Literis pugnantia, aut etiam sobriis hominibus indigna esse videbamus, qualia infinita sunt hodie in papatu, prorsus sine ulla exceptione repudiavimus: quod nollemus Dei cultum ejusmodi ineptiis longius contaminari.

Precamur ea lingua, quam nostri, ut par est, omnes intelligant: ut populus, quemadmodum Paulus monet,[4] e communibus votis utilitatem communem capiat: quemadmodum omnes pii Patres, et catholici Episcopi, non tantum in Veteri, verumetiam in Novo Testamento, et precati sunt ipsi, et populum precari docuerunt: ne, ut Augustinus ait, tanquam psittaci et merulæ, videamur sonare quod nescimus.

Mediatorem et precatorem, per quem accedendum sit ad Deum Patrem, non alium habemus quam Jesum Christum, cujus unius nomine omnia a Patre impetrantur. Turpe autem et plane ethnicum est, quod in istorum Ecclesiis videmus

[2] Alit. *fieri posse.* [3] 1 Cor. xiv. 40. [4] 1 Cor. xiv.

passim fieri, non tantum quod infinitum numerum habere volunt precatorum, idque prorsus sine autoritate verbi Dei, (ut, quemadmodum Hieremias ait,[5] Divorum numerus æquet nunc, vel potius superet numerum civitatum, et miseri mortales nesciant, ad quem se potissimum debeant vertere :) quodque, cum tot sint ut numerari non possint, illis tamen singulis suum cuique ab illis munus et officium, quid impetrare, quid dare, quid efficere debeant, descriptum est: sed etiam quod ita, non tantum impie, sed etiam impudenter appellant Virginem matrem, ut se matrem[6] esse meminerit, ut imperet Filio, ut in illum utatur jure suo.

Dicimus hominem natum esse in peccato, et in peccato vitam agere: neminem posse vere dicere, mundum esse cor suum: justissimum quemque servum esse inutilem: legem Dei perfectam esse, et a nobis requirere perfectam et plenam obedientiam: illi a nobis in hac vita satisfieri non posse ullo modo: neque esse mortalium quenquam qui possit in conspectu Dei propriis viribus justificari: itaque unicum receptum nostrum et perfugium esse ad misericordiam Patris nostri per Jesum Christum, ut certo animis nostris persuadeamus, illum esse propitiationem pro peccatis nostris: ejus sanguine omnes labes

[5] Hier. 2, 28, et 11, 13.

[6] Bernardus.

nostras deletas esse: illum pacificasse omnia sanguine crucis suæ: illum unica illa hostia, quam semel obtulit in cruce, omnia perfecisse, et ea causa, cum animam ageret, dixisse, Consummatum est:[7] quasi significari vellet, persolutum jam esse pretium pro peccato humani generis.

Hoc sacrificium siqui sunt qui non putant esse satis, eant sane et quærant aliud melius. Nos quidem, et quia illud unicum esse scimus, uno contenti sumus, nec expectamus aliud: et quia semel tantum offerendum erat, non jubemus repeti; et quia plenum et omnibus numeris et partibus perfectum erat, non substituimus continentes hostiarum successiones.

Quamvis autem dicamus, nihil nobis esse præsidii in operibus et factis nostris, et omnem salutis nostræ rationem constituamus in solo Christo; non tamen ea causa dicimus, laxe et solute vivendum esse, quasi tingi tantum et credere, satis sit homini Christiano, et nihil ab eo aliud expectetur. Vera fides viva est, nec potest esse otiosa.

Sic ergo docemus populum, Deum vocasse nos, non ad luxum et libidinem; sed, ut Paulus ait,[8] ad opera bona, ut in illis ambulemus: Deum eripuisse nos a potestate tenebrarum, ut serviamus Deo viventi, ut rescindamus omnes re-

[7] Joh. xix. 30. [8] Eph. ii. 10.

liquias peccati, ut in timore et tremore operemur salutem nostram, ut appareat Spiritum sanctificationis esse in membris nostris, et Christum ipsum per fidem in cordibus nostris habitare.

Postremo, credimus hanc ipsam carnem nostram, in qua vivimus, quamvis mortua abierit in pulverem, tamen ultimo die redituram esse ad vitam, propter Spiritum Christi qui habitat in nobis. Tum vero, quicquid hic interim patimur ejus causa, Christum abstersurum esse omnem lacrymam ab oculis nostris: et nos propter illum fruituros esse æterna vita, et semper futuros cum illo in gloria. Amen.

Istæ sunt horribiles illæ hæreses, quarum nomine bona pars orbis terrarum hodie a Pontifice inaudita condemnatur. In Christum potius, in Apostolos, in sanctos Patres lis intendenda fuit. Nam ab illis ista non tantum profecta, sed etiam constituta sunt: nisi isti forte velint dicere (quod etiam fortasse dicent) Christum non instituisse sacram Communionem, ut inter fideles distribueretur: aut Apostolos Christi, veteresque Patres dixisse privatas Missas in omnibus angulis templorum, modo denas, modo vicenas, uno die: aut Christum et Apostolos abegisse omnem plebem a Sacramento sanguinis: aut id quod ab ipsis hodie ubique fit (atque ita fit, ut eum condemnent pro hæretico, qui secus faciat) a Gelasio suo non appellari sacrilegium: aut non esse ista

verba Ambrosii, Augustini, Gelasii, Theodoreti, Chrysostomi, Origenis, panem te vinum in Sacramentis manere eadem quæ fuerant: illud, quod videtur in sacra mensa, esse panem: non desinere esse substantiam panis, et naturam vini: panis substantiam et naturam non mutari: aut illum ipsum panem, quod quidem ad materiam attinet, abire in ventrem, et in secessum ejici: aut Christum, Apostolos, et sanctos Patres, non precatos esse ea lingua, quæ a populo intelligeretur: aut Christum unica illa hostia quam semel obtulit, non omnia perfecisse: aut illud sacrificium fuisse imperfectum, ut nunc nobis opus sit alio. Hæc illis omnia dicenda sunt, nisi forte malint hoc dicere, omne jus et fas esse conclusum in scrinio pectoris pontificii: quodque olim quidam ex ejus asseclis[9] et parasitis non dubitavit dicere, illum posse dispensare contra Apostolum, contra Concilium, contra Canones Apostolorum: et istis exemplis atque institutis et legibus Christi non teneri.

Ista nos didicimus a Christo, ab Apostolis, et sanctis Patribus, et eadem bona fide docemus populum Dei: atque ea causa hodie ab antistite, scilicet, religionis, appellamur hæretici.

O Deum immortalem! Ergo Christus ipse, et Apostoli, et tot Patres una omnes erraverunt?

[9] Dist. 36, Lector in Glossa. Dist. 81, Presbyter.

Ergo Origenes, Ambrosius, Augustinus, Chrysostomus, Gelasius, Theodoretus erant desertores fidei Catholicæ; Ergo tot veterum Episcoporum et doctorum virorum tanta consensio nihil aliud erat quam conspiratio hæreticorum? Aut quod tum laudabatur in illis, id nunc damnatur in nobis? Quodque in illis erat catholicum, id nunc, mutatis tantum hominum voluntatibus, repente factum est schismaticum? Aut quod olim erat verum, nunc statim quia istis non placet, erit falsum? Proferant ergo aliud Evangelium: aut causas ostendant, cur ista quæ tam diu in Ecclesia Dei publice observata, et approbata fuerint, nunc demum oportuerit revocari. Nos quidem illud verbum quod a Christo patefactum, et ab Apostolis propagatum est, scimus et ad salutem nostram, et ad omnem veritatem propugnandam, et ad omnem hæresin convincendam esse satis. Ex illo nos solo omne genus veterum hæreticorum, quos isti nos aiunt ab inferis revocasse, condemnamus: et Arianos, Eutychianos, Marcionitas, Ebionæos, Valentinianos, Carpocratianos, Tatianos, Novatianos, eosque uno verbo omnes, qui vel de Deo Patre, vel de Christo, vel de Sancto Spiritu, vel de ulla alia parte religionis Christianæ impie senserunt, quia ab Evangelio Christi coarguuntur, impios et perditos pronuntiamus, et usque ad inferorum portas detestamur: nec id solum, sed etiam, si

forte erumpant uspiam, et sese prodant, eos legitimis et civilibus suppliciis severe et serio coercemus.

Fatemur quidem novas quasdam, et antea non auditas Sectas, Anabaptistas, Libertinos, Mennonios, Zuenkfeldianos, statim ad exortum Evangelii extitisse. Verum agimus Deo nostro gratias, satis jam orbis terrarum videt, nos nec peperisse, nec docuisse, nec aluisse ista monstra. Lege sodes, quisquis es, libros nostros: prostant ubique venales. Quid unquam scriptum est a quoquam nostrorum hominum, quod posset aperte istorum favere insaniæ? Immo nulla hodie regio ita libera est ab istis pestibus, atque illæ sunt, in quibus libere et publice docetur Evangelium. Quod si rem ipsam attente et recte putare velint, magnum hoc argumentum est, esse hanc Evangelii veritatem, quam nos docemus. Nam nec lolium facile sine frumento nasci solet, nec palea sine grano. Statim ab Apostolorum ipsorum temporibus, cum primum propagaretur Evangelium, quis nescit quot hæreses una exortæ fuerint? Quis unquam antea audierat Simonem, Menandrum, Saturninum, Basilidem, Carpocratem, Cerinthum, Ebionem, Valentinum, Secundum, Marcosium, Colorbasium, Heracleonem, Lucianum, Severum? Et quid istos commemoramus? Epiphanius numerat octoginta, Augustinus plures etiam distinctas hæreses, quæ una

creverint cum Evangelio. Quid ergo? An Evangelium, quod una cum illo hæreses nascerentur, non erat Evangelium? aut Christus ea causa non erat Christus?

Neque tamen apud nos, uti diximus, pullulat ista seges, qui publice et libere docemus Evangelium. Apud adversarios nostros, in cæcitate ac tenebris istæ pestes exordiuntur, et incrementa ac vires capiunt, ubi veritas tyrannide sævitiaque opprimitur, nec nisi in angulis, et occultis congressionibus[1] audiri potest. Faciant sane periculum: dent cursum liberum Evangelio, luceat veritas Jesu Christi, et radios in omnes partes porrigat; statim videbunt, ut nocturnam caliginem ad adspectum solis, ita istas umbras ad lucem Evangelii protinus evanuisse. Nam nos quidem omnes illas hæreses, quas isti nos alere et fovere calumniantur, illis interim sedentibus atque aliud agentibus, quotidie repellimus et propulsamus.

Quod autem dicunt nos in varias Sectas abiisse, et velle alios Lutheranos, alios Zuinglianos appellari, neque adhuc potuisse satis inter nos ipsos de summa doctrinæ convenire: quid illi dixissent, si primis illis temporibus Apostolorum, et Sanctorum Patrum extitissent? cum alius diceret, Ego sum Pauli; alius, Ego sum Cephæ: alius,

[1] Alit. *congressibus.*

Ego sum Apollo: cum Paulus Petrum reprehenderet: cum simultatis causa Barnabas a Paulo discederet: cum, ut autor est Origenes, Christiani in tot jam factiones distracti essent, ut nomen tantum Christianorum commune, aliud autem præterea nihil Christianorum simile retinerent: utque Socrates ait, dissensionum et sectarum causa in theatris a populo publice riderentur: cumque, ut ait Imperator Constantinus, tot essent dissensiones et rixæ in Ecclesia, ut ea calamitas videri possit omnem aliam superiorem calamitatem superasse: cum Theophilus, Epiphanius, Chrysostomus, Augustinus, Ruffinus, Hieronymus, omnes Christiani, omnes Patres, omnes Catholici, acerbissimis, atque etiam implacabilibus inter se contentionibus conflictarentur: cum, ut Nazianzenus ait, ejusdem corporis membra inter se consumerentur: cum Oriens ab Occidente de fermentato, et de Paschate, non ita magnis de rebus, scinderetur: cum in omnibus Conciliis nova subinde symbola, et nova decreta cuderentur? Quid isti tum dixissent? Ad quos se potissimum applicuissent? Quos fugissent? Cui Evangelio credidissent? Quos pro hæreticis, quos pro catholicis habuissent? Nunc duo tantum nomina, Lutherus et Zuinglius, quas istis tragœdias excitant? Ut quoniam illi duo de re aliqua nondum consentiunt, idcirco utrumque errasse, neutrum habuisse Evangelium, neutrum vere ac recte docuisse arbitremur?

Verum, ô Deus bone, quinam isti tandem sunt, qui dissensiones in nobis reprehendunt? An vero omnes isti inter se consentiunt? An singuli satis habent constitutum quid sequantur? An inter illos nullæ unquam dissensiones, nullæ lites extiterunt? Cur ergo Scotistæ et Thomistæ de merito congrui et condigni: de peccato originis in beata Virgine, de Voto solenni et simplici, non melius inter se conveniunt? Cur canonistæ auricularem confessionem de jure humano, et positivo esse aiunt, Scholastici contra, de jure divino? Cur Albertus Pighius a Cajetano, Thomas a Lombardo, Scotus a Thoma, Ochamus a Scoto, Alliensis ab Ochamo, Nominales a Realibus dissentiunt? Utque taceam tot dissensiones Fraterculorum, et Monachorum (quod alii in piscibus, alii in oleribus, alii in calceis, alii in crepidis, alii in linea veste, alii in lanea sanctitatem constituunt: alii albati, alii pullati, alii latius, alii angustius rasi: alii soleati, alii nudipedes: alii cincti, alii discincti ambulant:) meminisse debent esse aliquos[2] ex suis qui dicant, Christi corpus adesse in Cœna naturaliter: contra ex iisdem illis suis esse alios qui negent: esse alios qui dicant, corpus Christi in sacra communione dentibus nostris lacerari et atteri:

[2] Ste. Gardinerus in Sophistica Diaboli. Richard. Faber. Recantatio Berengarii, Schola et Glossa Guimundus. De Consec. dist. 2. Ego Beren.

rursus esse alios, qui negent: esse alios qui scribant, corpus Christi in Eucharistia esse quantum, esse alios contra qui negent: esse alios qui Christum divina quadam potentia: alios qui benedicendo: alios qui[3] quinque conceptis verbis, alios qui eadem illa quinque verba repetendo, dicant consecrasse: esse alios qui in illis quinque verbis, [hoc] pronomine demonstrativo, putent panem triticeum: alios qui malint vagum quoddam individuum indicari: Esse alios[4] qui dicant canes et mures posse vere et reipsa comedere corpus Christi: esse alios qui id constanter pernegent: esse alios[5] qui dicant, accidentia ipsa panis vinique nutrire posse: esse alios qui dicant, redire substantiam. Quid plura? Prolixum et permolestum esset omnia numerare. Ita universa forma horum religionis et doctrinæ, adhuc apud illos ipsos a quibus nata et profecta est, prorsus incerta, et controversa est. Vix enim unquam inter se conveniunt, nisi forte, ut olim Pharisæi et Sadducæi, aut Herodes et Pilatus, contra Christum.

Eant ergo sane, et pacem potius inter suos domi sanciant. Unitas quidem et consensio maxime convenit Religioni. Non tamen est ea certe et propria nota Ecclesiæ Dei. Summa enim erat consensio inter eos qui adorabant

[3] Thomas. [4] Gardinerus.
[5] De Cons. dist. 2. Species. Glossa.

aureum vitulum, et inter eos qui conjunctis vocibus in Servatorem nostrum Jesum Christum clamabant, Crucifige. Neque quia Corinthii dissensionibus inter se laborabant, aut quia Paulus a Petro, aut Barnabas a Paulo, aut Christiani statim sub ipsis initiis Evangelii aliqua de re a se mutuo dissidebant, idcirco nulla erat inter eos Ecclesia Dei? Illis quidem, quos isti contumeliæ causa appellant Zuinglianos, et Lutheranos, (re autem vera sunt utrique Christiani, et inter sese amici, ac fratres:) non de principiis aut fundamentis Religionis nostræ, non de Deo, non de Christo, non de Sancto Spiritu, non de ratione Justificationis, non de æterna Vitâ: tantum de una, nec ea ita gravi aut magna quæstione, inter se dissentiunt. Nec desperamus, vel potius non dubitamus, brevi fore concordiam: et siqui sint, qui aliter sentiant quam par est, positis aliquando affectionibus et nominibus, Deum id illis esse patefacturum, ut re melius animadversa atque explorata, quod olim in Calcedonensi Concilio factum est, omnes dissensionum causæ et fibræ, ab ipsis radicibus extirpentur, et ἀμνηστίᾳ sepeliantur sempiterna. Amen.

Gravissimum vero est, quod nos dicunt esse homines impios, et omnem religionis curam abjecisse: quanquam non debet id multum nos movere, quod illi ipsi, a quibus objicitur, sciunt contumeliosum et falsum esse. Nam Justinus

Martyr autor est, cum primum Evangelium cœptum esset publicari, et Christi nomen patefieri, Christianos omnes dictos fuisse ἀθέους. Cumque Polycarpus staret pro judicio, populus his vocibus incitavit Proconsulem ad cædem et internecionem eorum omnium, qui Evangelium profiterentur,[6] ἆιρε τους ἀθέους, hoc est, Tolle de medio istos homines impios, qui Deum non habent. Non quod Christiani Deum revera non haberent, sed quod saxa, et stipites, quæ tum pro Diis colebantur, non adorarent. Verum orbis terrarum satis jam videt, quid nos nostrique ab istis, Religionis, et unius Dei nostri causa perpessi sumus. In carceres, in aquas, in ignes nos abjecerunt, et in nostro sanguine volutati sunt; non quod aut adulteri essemus, aut latrones, aut homicidæ; sed tantum quod agnosceremus Evangelium Jesu Christi, et speraremus in Deum vivum, quodque nimium (ô Deus bone!) juste, vereque quereremur, traditionum inanissimarum causa violari ab istis legem Dei: et adversarios nostros, qui scientes et prudentes Dei jussa ita obstinate contemnerent, esse hostes Evangelii, et inimicos crucis Christi.

Verum isti, cum[7] viderent doctrinam nostram non posse recte accusari, maluerunt in mores nostros invehere: nos omnia recte facta dam-

[6] Euseb. lib. iv. c. 15.

[7] Alit. *quum*.

nare: ad licentiam et libidinem fores aperire: et populum ab omni studio virtutis abducere. Et certe ea est, semperque fuit hominum omnium, etiam piorum et Christianorum, vita, ut semper etiam in optimis et castissimis moribus tamen aliquid posses desiderare: eaque propensio omnium ad malum, eaque omnium proclivitas ad suspicandum, ut quæ nec facta, nec cogitata unquam fuerint, audiri tamen, et credi possint. Utque in candidissima veste facile exigua notatur labes; ita in vita candidissima, facile levissima nota turpitudinis deprehenditur. Neque nos, aut[8] eos omnes qui amplexi sunt hodie doctrinam Evangelii, angelos esse arbitramur, et prorsus sine macula ulla rugaque vivere: aut istos vel ita cæcos, ut si quid in nobis notari queat, non possint id vel per tenuissimam rimam animadvertere: vel ita candidos, ut quidquam velint in meliorem partem interpretari: vel ita ingenuos, ut oculos suos velint in se reflectere, et mores nostros de suis moribus æstimare. Quod si rem ipsam ab initiis velimus repetere, scimus temporibus ipsis Apostolorum fuisse homines Christianos, propter quos nomen Domini blasphemaretur, et male audiret inter Gentes.

Queritur apud Sozomenum Imperator Constantius, multos postquam ad Christianam Reli-

[8] Alit. *omnes.*

gionem accessissent, evasisse deteriores. Et Cyprianus lugubri oratione describit corruptelam sui temporis. Disciplinam, inquit,[9] quam Apostoli tradiderant, otium jam et pax longa corruperat. Studebant augendo patrimonio singuli, et obliti quid credentes, aut sub Apostolis ante fecissent, aut semper facere deberent, insatiabili cupiditatis ardore ampliandis facultatibus incubabant. Non in Sacerdotibus Religio devota, non in Ministris fides integra, non in operibus misericordia, non in moribus disciplina. Corrupta barba in viris, in fœminis forma fucata. Et ante illum Tertullianus, O miseros, inquit, nos, qui Christiani dicimur hoc tempore! Gentes agimus sub nomine Christi.

Postremo, ne omnes commemoremus, Gregorius Nazianzenus de miserabili statu suorum temporum ita loquitur: Vitiorum, inquit, nostrorum causa, odio jam laboramus inter Gentes. Spectaculum etiam jam facti sumus, non solum angelis et hominibus, sed etiam omnibus impiis. Hoc loco erat Ecclesia Dei, cum primum lucere cœpisset Evangelium, cum nondum rabies tyrannorum refrixisset, aut gladius a Christianorum hominum cervicibus ablatus esset. Scilicet, non est novum, homines esse homines, etiamsi appellentur Christiani.

[9] De Lapsis.

Sed isti cum ita odiose nos accusant, nihilne interim de se cogitant! An illi, quibus tam procul spectare, et quid in Germania, quidque in Anglia agitatur videre otium est, aut obliti sunt, aut videre non possunt quid agitur Romæ? An nos ab illis accusamur, de quorum vita nemo potest satis honeste et verecunde commemorare?

Nos quidem non sumimus id nobis hoc tempore, ut ea quæ una cum ipsis sepulta esse oportebat, in lucem et in conspectum proferamus. Non est id Religionis, non est verecundiæ, non est pudoris nostri. Ille tamen qui se Christi Vicarium et Ecclesiæ Caput dici jubet, qui audit ista Romæ fieri, qui videt, qui patitur, nihil enim aliud addimus, qualia ea sint facile potest cum animo suo cogitare.[1] Redeat enim illi sane in memoriam: cogitet Canonistas illos suos esse, qui populum docuerunt, simplicem fornicationem non esse peccatum: quasi illam doctrinam ex Mitione Comico didicissent: Non est peccatum, mihi crede, adolescentulum scortari. Cogitet, suos illos esse, qui decreverunt, Sacerdotem fornicationis causa non esse summovendum. Meminerit Cardinalem Campegium, Albertum Pighium, aliosque complures suos docuisse, Sacerdotem illum multo sanctius et castius vivere, qui alat concubinam, quam qui uxorem habeat

[1] Johannes de Magistris de Temperantia 3, Quæst. 7. Lata Extrav. de Bigamis. Quia circa.

in matrimonio. Nondum ille, spero, oblitus est, multa esse Romæ publicarum meretricum millia, et se ex illis in singulos annos, vectigalis nomine, colligere ad triginta millia ducatorum. Oblivisci non potest, se Romæ lenocinium publice exercere, et de fœdissima mercede fœde ac nequiter delitiari. An omnia tum Romæ satis aut salva aut sancta erant; cum Joanna[2] fœmina integræ ætatis magis quam vitæ, esset Papa, et se[3] gereret pro capite Ecclesiæ: et cum se biennium totum in illa sancta sede aliorum libidini exposuisset, postremo in lustranda civitate, inspectantibus Cardinalibus et Episcopis palam pareret in publico?

Sed quid opus erat concubinas et lenones commemorare? vulgare enim jam illud Romæ et publicum, et non inutile peccatum est. Meretrices enim ibi jam sedent, non ut olim[4] extra civitatem, obnupto et obvoluto capite, sed in Palatiis habitant, per forum vagantur aperta fronte, quasi id non tantum liceat, sed etiam laudi esse debeat. Quid plura? Illorum jam libidines terrarum orbi sunt satis notæ. D. Bernardus, de Pontificis familia, ipsoque adeo Pontifice, libere et vere scribit: Aula, inquit,[5] tua,

[2] Statua ejusdem fœminæ parturientis adhuc Romæ est.
[3] Alit. *sese*.
[4] Gen. xxxviii. 14, 15. In Concilio delectorum Cardinalium, tom. 3.
[5] De Consideratione, ad Eugenium.

bonos recipit, non facit: Mali ibi[6] proficiunt, boni deficiunt. Et quicunque ille fuit, qui scripsit Opusculum Tripartitum, quod adjunctum est ad Concilium Lateranense; tantus, inquit, hodie est luxus, non tantum in Clericis et Sacerdotibus, sed etiam in Prælatis et Episcopis, ut horribile sit auditu.

Atqui ista non tantum usitata sunt, et ea causa consuetudinis et temporis gratia approbata, (ut cætera sunt istorum fere omnia) sed etiam antiqua jam et putida. Quis enim non audivit quid Petrus Aloisius, Pauli tertii filius, designarit in Cosmum Cherium Episcopum Fanensem? quid Joannes Casa Archiepiscopus Beneventanus, Legatus Pontificis apud Venetos, scripserit de horrendo scelere; et quod ne fando quidem audiri debeat, id verbis spurcissimis, et scelerata eloquentia commendarit? Quis non audivit Alphonsum Diazium Hispanum, cum ea gratia Roma missus fuisset in Germaniam, innocentissimum et sanctissimum virum Joannem Diazium fratrem suum, tantum quod amplexus esset Evangelium Jesu Christi, et Romam redire nollet, nefarie atque impie interfecisse? Sed ista, inquient, in Repub. optime constituta, etiam invitis Magistratibus, possunt interdum accidere: et bonis legibus vindicantur.

[6] Alit. *tibi.*

Esto sane. Sed quibus bonis legibus animadversum est in istas pestes? Petrus Aloisius cum ea flagitia, quæ diximus, designasset, semper fuit in sinu atque in deliciis apud patrem suum Paulum tertium. Diazius, interfecto fratre suo, Pontificis ope ereptus est, ne in eum animadverteretur bonis legibus. Joannes Casa Archiepiscopus Beneventanus adhuc vivit: immo etiam Romæ, et in sanctissimi oculis et conspectu vivit. Occiderunt fratrum nostrorum infinitos numeros, tantum quod vere ac pure crederent in Jesum Christum. At ex illo tanto numero meretricum, scortatorum, adulterorum, quem unquam, non dico, occiderunt, sed aut excommunicaverunt, aut omnino attigerunt? An vero, libidines, adulteria, lenocinia, scortationes, parricidia, incestus, et alia nequiora Romæ peccata non sunt? Aut si sunt, in urbe Roma, in arce sanctitatis, a vicario Christi, a successore Petri, a sanctissimo patre ita facile et leviter,[7] quasi peccata non sint, ferri possunt?

O sancti Scribæ et Pharisæi, quibus ista sanctitas nota non fuit! O sanctitatem et fidem catholicam! Non ista Petrus Romæ docuit: Paulus non ita Romæ vixit. Non illi lenocinium publice exercuerunt: non illi vectigal et censum a meretricibus exegerunt: non illi adulteros et

[7] Alit. *leniter*.

parricidas palam et impune tolerarunt: non eos in sinum, non in Christianorum hominum cœtum receperunt. Non debebant isti tantopere exaggerare vitam nostram. Consultius multo fuit, ut prius vel approbarent hominibus, vel certe occultius aliquanto tegerent vitam suam.

Nam nos quidem utimur priscis et avitis legibus, et quantum his moribus et temporibus, in tanta corruptela rerum omnium potest fieri, disciplinam Ecclesiasticam diligenter et serio administramus. Prostibula quidem meretricum et concubinarum, aut scortatorum greges non habemus: nec adulteria matrimoniis anteponimus: nec lenocinium exercemus: nec de fornicibus stipendia colligimus: nec incesta, et flagitiosas libidines, nec Aloisios, nec Casas, nec Diazios parricidas impune ferimus. Nam si ista nobis placuissent, nihil opus erat, ut ab istorum societate, ubi ea vigent et habentur in pretio, discederemus, et ea causa in odia hominum, et in certissima pericula incurreremus. Habuit Paulus quartus ante non ita multos menses Romæ in carcere aliquot fratres Augustinianos, et complures Episcopos, et magnum numerum aliorum piorum hominum, religionis causa. Habuit tormenta: exercuit in illos quæstiones: nihil reliquit intentatum. Ad extremum ex illis omnibus, quot potuit mœchos, quot scortatores, quot adulteros, quot incestos invenire? Sit

Deo nostro gratia: etsi illi non sumus, quos esse oportebat, quosque profitemur: tamen quicunque sumus, si cum istis conferamur, vel vita nostra atque innocentia, facile has calumnias refutabit. Nos enim non tantum libris et concionibus, sed etiam exemplis et moribus populum ad omne genus virtutis, et recte factorum cohortamur. Evangelium docemus non esse ostentationem scientiæ, sed legem vitæ: utque Tertullianus ait,[8] Christianum hominem non loqui magnifice oportere, sed magnifice vivere; nec auditores, sed factores legis justificari apud Deum. Ad hæc omnia hoc etiam solent addere, idque omni conviciorum genere amplificare, nos esse homines turbulentos, Regibus sceptra de manibus eripere, populum armare, tribunalia evertere, leges rescindere, possessiones dissipare, regna ad popularem statum revocare,[9] sursum deorsum omnia confundere: breviter in Repub. nihil integrum esse velle. O quoties his verbis inflammaverunt animos Principum, ut illi in herba extinguerent lucem Evangelii, priusque illud odisse inciperent, quam nosse possent: utque Magistratus, quoties aliquem videret nostrum, toties se putaret hostem videre suum!

Molestum quidem nobis esset ita odiose ac-

[8] In Apologet. 45.
[9] Tertullian in Apolog. 1, 2, et 3.

cusari gravissimo crimine Majestatis, nisi sciremus Christum ipsum aliquando, et Apostolos, et infinitos alios homines pios et Christianos, vocatos fuisse in invidiam, eodem fere crimine. Nam Christus quidem quamvis docuisset dandum Cæsari quod esset Cæsaris: tamen accusatus est seditionis, quod res novas moliri, et regnum appetere diceretur: itaque occlamatum est pro tribunalibus publice adversus eum: "Si hunc dimittis, non es amicus Cæsaris."[1] Et Apostoli, quamvis semper et constanter docuissent obtemperandum esse Magistratibus, omnem animam superioribus Potestatibus esse subditam; idque non tantum propter iram et vindictam, sed etiam propter conscientiam: tamen dicti sunt commovere populum, et multitudinem ad rebellionem incitare. Amanus[2] hoc maxime pacto, genus et nomen Judæorum adduxit in odium[3] apud Regem Assuerum, quod illos diceret esse populum rebellem et contumacem, et Principum edicta et jussa contemnere. Impius Rex Achabus, Eliæ Prophetæ Dei, "Tu," (inquit,) "conturbas Israel."[4] Amasias sacerdos Bethel, apud Regem Hieroboam accusat Amos Prophetam conspirationis: "Ecce," (inquit,[5]) "Amos conjurationem fecit contra te, in medio domus Israel."

[1] Joan. xix. 12.
[2] Alit. *Hamanus*.
[3] Hest. iii. 8, &c.
[4] 3 Reg. xviii. 18.
[5] Amos vii. 10.

Breviter, Tertullianus ait,[6] adversus omnes Christianos hanc suo tempore accusationem fuisse publicam, esse illos proditores, esse perduelles, esse hostes humani generis.

Quare si nunc quoque veritas male audiat, et eadem cum sit, iisdem nunc contumeliis afficiatur, quibus affecta est olim; etsi id molestum et ingratum est, novum tamen aut insolens videri non potest.

Facile istis fuit ante annos quadraginta, ista maledicta, et alia graviora in nos confingere, cum in mediis illis tenebris exoriri primum cœpisset, et lucere radius aliquis ignotæ tum et inauditæ veritatis; cum Martinus Lutherus, et Huldericus Zuinglius, præstantissimi viri, et ad illustrandum orbem terrarum a Deo dati, primum accessissent ad Evangelium: cum et res adhuc nova esset, et eventus incertus, et animi hominum suspensi atque attoniti, et aures apertæ ad calumnias, et nullum in nos tam grave flagitium fingi posset, quod non propter rei ipsius novitatem atque insolentiam, facile a populo crederetur. Ita enim veteres hostes Evangelii, Symmachus, Celsus, Julianus, Porphyrius, olim aggressi sunt accusare omnes Christianos seditionis, et Majestatis, antequam aut Princeps, aut populus, quinam illi Christiani essent, aut quid profiterentur, aut

[6] In Apol. cap. 37.

quid crederent, aut quid vellent, scire possent. Nunc vero postquam etiam hostes nostri vident, et negare non possunt, nos semper omnibus dictis nostris, scriptisque diligenter admonuisse populum officii sui, ut Principibus suis et Magistratibus, quamvis impiis, obtemperarent, idque et usus ipse, et experientia satis docet, et omnium hominum, quicunque atque ubicunque sunt, oculi vident et contestantur; putidum erat ista objicere, et, cum nova et recentia crimina nulla essent, obsoletis tantum mendaciis nobis invidiam facere voluisse.

Agimus enim Deo nostro, cujus hæc solius causa est, gratias, in omnibus regnis, ditionibus, Rebuspub. quæ ad Evangelium accesserunt, nullum unquam adhuc hujusmodi exemplum extitisse. Nullum enim nos regnum evertimus: nullius ditionem aut jura minuimus: Rempub. nullam turbavimus. Manent adhuc suo loco, et avita dignitate Reges Angliæ nostræ, Daniæ, Suetiæ, Duces Saxoniæ, Comites Palatini, Marchiones Brandeburgici, Lantgravii Hessiæ, Respub. Helvetiorum, et Rhætorum, et liberæ Civitates, Argentina, Basilea, Francofordia, Ulma, Augusta, Norimberga, omnes eodem jure, eodemque statu quo fuerunt antea, vel potius, quia propter Evangelium populum habent obsequentiorem, multo meliore. Eant sane in illa loca, ubi nunc Dei beneficio auditur Evangelium, Ubi plus majestatis? Ubi minus fastus et tyrannidis?

Ubi Princeps magis colitur? Ubi populus minus tumultuatur? Ubi unquam fuit publica res, ubi Ecclesia tranquillior?

At Rustici, inquies, a principio hujus doctrinæ passim cœperunt furere, et tumultuari per Germaniam. Esto. At in illos promulgator hujus doctrinæ Martinus Lutherus vehementissime atque acerrime multa scripsit, eosque ad pacem et ad obedientiam revocavit.

Quod autem objici solet interdum ab hominibus imperitis rerum, de mutato statu Helvetiorum, et interfecto Duce Austriæ Leopoldo, et patria in libertatem vindicata, factum est id (uti ex omnibus historiis satis constat) ante annos ducentos sexaginta, sub Bonifacio octavo, cum maxime vigeret potestas Pontificum, ducentos circiter annos antequam Huldericus Zuinglius, aut docere inciperet Evangelium, aut omnino natus esset. Ex eo vero tempore semper illi omnia pacata et tranquilla habuerunt, non tantum ab hoste externo, sed etiam a tumultu intestino.

Quod si peccatum fuit patriam suam ab externa dominatione, præsertim cum insolenter et tyrannice opprimerentur, liberare: tamen vel nos alienis, vel illos avitis criminibus onerare, et iniquum, et absurdum est.

Sed ô Deum immortalem! an Romanus Episcopus accusabit nos perduellionis? An ille docebit populum obtemperare, atque obsequi

Magistratibus? Aut omnino rationem Majestatis habet ullam? Cur ergo nunc ille, (quod nullus veterum Episcoporum Romanorum unquam fecit) quasi omnes Reges et Principes, quicunque atque ubicunque sint, velit esse servos suos, patitur se a suis parasitis,[7] Dominum dominantium appellari? Cur ille se jactat esse Regem regum, et habere jus regium[8] in subditos?

Cur omnes Imperatores et Monarchas jurejurando adigit in verba sua? Cur Majestatem[9] Imperatoriam septuagies septies se inferiorem esse gloriatur; idque ea maxime causa, quod Deus duo lumina in cœlo fecerit: quodque cœlum et terra non in duobus principiis, sed in uno principio creata fuerint? Cur ille, ejusque[1] sectatores, Anabaptistarum et Libertinorum more, quo licentius et securius grassarentur, jugum excusserunt, et se ab omni civili potestate exemerunt?

Cur ille Legatos suos, hoc est, callidissimos exploratores, habet tanquam in insidiis, in aulis, in conciliis, in cubiculis Regum omnium? Cur ille, ubi visum est, Principes Christianos inter se committit, et pro sua libidine turbat seditionibus orbem terrarum? Cur proscribit, et pro Ethnico

[7] August. Steuchus. Anton. de Rossellis.
[8] Alit. *Regum.* [9] De Major. et Obed. solit.
[1] De Major. et obed. Unam sanctam.

et Pagano haberi vult, si quis Princeps Christianus ab imperio suo discesserit: et indulgentias ita liberaliter pollicetur, si quis quacunque ratione interficiat hostem suum? An ille conservat imperia et regna, aut omnino consultum cupit otio publico?—Ignoscere nobis debes, pie lector, si ista videmur acrius et vehementius agere quam deceat homines Theologos. Tanta enim est rei indignitas, tantaque in Pontifice, tamque impotens libido dominandi, ut aliis verbis aut tranquillius proponi non possit. Ille enim in publico concilio[2] ausus est dicere, omne jus regum omnium a se pendere. Ille ambitionis, et regnandi causa distraxit Romanum Imperium; et commovit, ac laceravit orbem Christianum. Ille Romanos atque Italos, seque adeo ipsum jurejurando, quo Imperatori Græco obstringebatur, perfide liberavit: et subditos ad defectionem solicitavit: et Carolum Magnum Martellum e Gallia in Italiam evocavit: et eum novo more Imperatorem fecit.[3] Ille Gallorum Regem Chilpericum, non malum Principem, tantum quod ipsi non placeret, de regno dejecit, et in ejus locum Pipinum surrogavit. Ille ejecto (si id efficere potuisset) Philippo Pulchro Rege, decrevit atque adjudicavit regnum Galliæ[4] Alberto Regi Romanorum. Ille

[2] Clemens 5, in Concil. Viennensi. [3] Leo Papa III.
[3] Zacharias Papa. [4] Clemens Papa VII.

florentissimæ civitatis, et Reipublicæ Florentiæ,[5] patriæ suæ, opes fregit, eamque e libero et tranquillo statu, unius libidini in manum tradidit. Ille cohortatione sua effecit, ut tota Sabaudia hinc ab Imperatore Carolo quinto, inde a Gallorum Rege Francisco, misere discerperetur, et infelici Duci, vix una civitas quo se reciperet, relinqueretur.

Tædet exemplorum, et molestum esset omnia Romanorum Pontificum egregie facta commemorare.—Quarum, obsecro, partium erant illi, qui Henricum septimum Imperatorem veneno sustulerunt in Eucharistia? qui Victorem Papam in sacro calice? qui Joannem nostrum Regem Angliæ in mensario poculo? Quicunque illi tandem, et quarumcunque partium fuerint, Lutherani certe, aut Zuingliani non fuerunt. Quis hodie summos Reges et Monarchas admittit ad oscula beatorum pedum? Quis Imperatorem jubet sibi adstare ad frænum: et Gallorum Regem ad ferrum illud pensile quo in equum ascenditur? Quis[6] Franciscum Dandalum, Ducem Venetiarum, Regem Cretæ ac Cypri, catenis vinctum abjecit sub mensam suam, ut ossa ligurirete inter canes? Quis[7] Imperatori Henrico sexto, Romæ diadema non manu, sed pede

[5] Idem Clemens. [6] Sabellicus.
[7] Cœlestinus Papa.

imposuit:[8] et eodem pede rursus dejecit, atque etiam addidit, habere se potestatem et creandi Imperatores, et summovendi? Quis Henricum filium armavit in Imperatorem Henricum quartum patrem suum: effecitque ut pater a filio suo caperetur, et detonsus atque ignominiose habitus, conjiceretur in monasterium, et inedia, ac mœrore contabesceret? Quis[9] cervices Imperatoris Frederici subjecit fœdum in modum pedibus suis: et quasi id non esset satis, addidit etiam insuper ex Psalmis Davidis, Super Aspidem et basiliscum ambulabis, conculcabis leonem et draconem: quale exemplum spretæ et contemptæ Majestatis, nunquam antea ulla memoria auditum fuerat: nisi forte vel in Tamberlane Scytha, homine fero et barbaro, vel in Sapore Rege Persarum?

Omnes isti fuerunt Papæ: omnes Successores Petri: omnes Sanctissimi, quorum singulas voces, singula nobis oporteat esse Evangelia.

Si nos rei sumus Majestatis, qui Principes nostros colimus, qui illis omnia, quantum quidem per Verbum Dei fas est, deferimus, qui pro illis precamur; quid ergo isti sunt, qui non tantum hæc fecerunt omnia, quæ diximus, sed etiam ea quasi optime facta comprobarunt? An vero illi aut ad hunc modum docent populum revereri

[8] Hildebrandus Papa. [9] Alexander III.

Magistratum; aut satis verecunde possunt nos, tanquam homines seditiosos, et perturbatores pacis publicæ, et Majestatis contemptores accusare? Nam nos quidem nec jugum excutimus, nec regna movemus, nec Reges aut facimus aut dejicimus, nec imperia transferimus, nec Regibus nostris venena propinamus, nec illis pedes osculandos porrigimus, nec pedibus nostris illorum cervicibus insultamus. Hæc potius est Professio, hæc est Doctrina nostra; omnem animam,[1] quæcunque tandem ea sit, sive sit Monachus, sive Evangelista, sive Propheta, sive Apostolus, oportere Regibus et Magistratibus esse subditam: et Pontificem adeo ipsum (nisi Evangelistis, nisi Prophetis, nisi Apostolis major videri velit) quod veteres Episcopi[2] Romani melioribus temporibus semper fecerunt, oportere Imperatorem dominum suum et agnoscere, et appellare. Nos publice docemus, ita obtemperandum esse Principibus, tanquam hominibus a Deo missis: quique illis resistit, illum Dei ordinationi resistere. Hæc sunt instituta nostra: hæc in libris, hæc in concionibus nostris, hæc in moribus, et modestia populi nostri elucescunt.

Illud vero, quod nos dicunt discessisse ab unitate Ecclesiæ catholicæ, non tantum est

[1] Chrysost. in 13, ad Roman.
[2] Greg. sæpe in epist.

odiosum; sed etiam, etsi verum non est, tamen speciem aliquam et similitudinem habet veri. Apud populum vero et imperitam multitudinem, non tantum vera et certa fidem faciunt, sed etiam si quæ sint, quæ videri possint verisimilia. Itaque videmus vafros homines, et callidos, quibus vera non suppeterent, semper verisimilibus pugnavisse; ut qui rem ipsam penitus intueri non possent, specie saltem aliqua et probabilitate caperentur. Olim quod veteres Christiani,[3] Patres nostri, cum preces Deo adhiberent, ad orientem Solem converterentur, erant qui dicerent, eos Solem venerari, et habere pro Deo. Cumque illi dicerent, se, quod ad æternam et immortalem vitam attinet, non aliunde vivere, quam de carne et sanguine ejus Agni, qui non haberet labem, hoc est, Servatoris nostri Jesu Christi: invidi et inimici crucis[4] Christi (quibus id tantum erat curæ, ut Religio Christiana quacunque ratione male audiret) persuaserunt populo, esse eos homines impios, mactare humanas hostias, et sanguinem humanum bibere. Cumque illi dicerent, apud Deum nec marem esse nec fœminam, nec omnino, quod ad justitiam adipiscendam attinet, distinctionem esse ullam personarum, seque omnes inter se sorores fratresque salutarent; non de-

[3] Tertull. in Apol. cap. 16.
[4] Idem, cap. 7—9.

erant[5] qui calumniarentur, Christianos nullum habere inter se discrimen aut ætatis, aut generis: sed omnes bestiarum ritu promiscue inter se concumbere. Et cum precationis et Evangelii audiendi causa sæpe inter se in crypta, et abdita quædam loca convenirent; quod idem interdum ab hominibus conjuratis soleret fieri, rumores publice spargebantur, eos conspirare inter se, et habere consilia vel de occidendis Magistratibus, vel de evertenda Repub. Quodque ad agitanda[6] sacra Mysteria, de instituto Christi adhiberent panem et vinum, putabantur a multis non Christum colere, sed Bacchum et Cererem: quod illa numina ab Ethnicis hominibus profana superstitione, simili ritu, pane et vino colerentur.

Credebantur ista a multis, non quod vera essent (quid enim esse posset minus?) sed quod essent verisimilia, et specie aliqua veri possent fallere.

Ita isti nos calumniantur esse hæreticos, ab Ecclesia et Christi Communione discessisse: non quod ista vera esse credant, (neque enim id illis curæ est,) sed quod ea hominibus imperitis possint aliqua forte ratione videri vera. Nos enim discessimus, non ut hæretici solent, ab Ecclesia Christi, sed, quod omnes boni debent, a malorum hominum et hypocritarum contagione. Hic

[5] Tertull. in Apol. cap. 39. [6] Augustin.

tamen isti mirifice triumphant: illam esse Ecclesiam: illam esse Sponsam Christi: illam esse Columnam Veritatis: illam esse Arcam Noe, extra quam nulla salus sperari possit: Nos vero discessionem fecisse: Christi tunicam lacerasse, a corpore Christi avulsos esse; et a fide Catholica defecisse. Cumque nihil relinquant indictum quod in nos, quamvis falso et calumniose, dici possit, hoc tamen unum non possunt dicere, nos vel a Verbo Dei, vel ab Apostolis Christi, vel a primitiva Ecclesia descivisse.

Atqui nos Christi et Apostolorum, et sanctorum Patrum, Primitivam Ecclesiam semper judicavimus esse Catholicam: nec eam dubitamus Arcam Noe, Sponsam Christi, columnam et firmamentum Veritatis appellare, aut in ea omnem salutis nostræ rationem collocare.

Odiosum quidem est, a societate, cui assueveris, discedere; maxime vero illorum hominum, qui quamvis non sint, tamen videantur saltem, atque appellentur Christiani. Et certe nos istorum Ecclesiam, qualiscunque tandem ea nunc est, vel nominis ipsius causa, vel quod in ea Evangelium Jesu Christi, aliquando vere ac pure illustratum fuerit, non ita contemnimus: nec ab ea nisi necessario, et perinviti decessionem fecissemus. Sed quid si in Ecclesia Dei idolum excitetur, et desolatio illa[7] quam Christus futuram prædixit stet

[7] Matt. xxiv. 15.

palam in loco sancto? Quid si arcam Noe prædo aliquis, aut pirata occupet? Certe isti, quoties Ecclesiam nobis prædicant, se ipsos solos eam faciunt, et omnes illos titulos sibi ipsis adscribunt; atque ita triumphant, ut olim illi qui clamabant, "Templum Domini, Templum Domini:" aut ut Pharisæi et Scribæ,[8] cum jactarent se esse filios Abrahami.

Ita inani splendore imponunt simplicibus, nosque nomine ipso Ecclesiæ quærunt obruere: ut si latro, occupata domo aliqua aliena, et vel vi exturbato, vel interfecto domino, eam postea adscribat sibi, et herilem filium de possessione dejiciat: aut si Antichristus, postquam occupabit Templum Dei, dicat postea illud jam esse suum, et nihil ad Christum pertinere. Nam isti quidem cum in Ecclesia Dei nihil Ecclesiæ simile reliquerint, Ecclesiæ tamen patroni et propugnatores videri volunt: prorsus ut Gracchus olim defendebat ærarium, cum largitionibus faciendis, et insanis sumptibus ærarium funditus effudisset. Nihil autem unquam tam impium aut absurdum fuit, quin Ecclesiæ nomine facile tegi et defendi posset. Faciunt enim etiam vespæ favos; et impii cœtus habent similes Ecclesiæ Dei.

At non quicunque dicuntur populus Dei, sunt statim populus Dei: nec quicunque sunt ex patre Israele, sunt omnes Israelitæ. Hæretici Ariani

[8] Joan. viii. 39.

se solos[9] jactabant esse Catholicos: cæteros omnes modo Ambrosianos, modo Athanasianos, modo Johannitas appellabant. Nestorius, ut ait Theodoretus, cum esset hæreticus, tamen tegebat se τῆς ὀρθοδοξίας προσχήματι, hoc est, specie quadam, ac velo Orthodoxæ fidei. Ebion, quamvis sentiret cum Samaritanis, tamen ut Epiphanius ait, appellari volebat Christianus. Mahometani hodie, quamvis eos ex omnibus historiis satis constet, idque ipsi negare non possint, ab Agara ancilla ducere originem, tamen quasi oriundi sint a Sara muliere libera, et uxore Abrahami, nominis ipsius et stirpis causa, malunt appellari Saraceni.

Ita Pseudoprophetæ omnium temporum qui sese Prophetis Dei, qui Esaiæ, qui Hieremiæ, qui Christo, qui Apostolis opponebant, nihil unquam æque crepabant, atque nomen Ecclesiæ. Neque eos alia de causa ita acerbe lacerabant, aut perfugas et apostatas appellabant, quam quod a sua societate discessissent, et instituta majorum non observarent. Quod si nos hominum tantum illorum, a quibus tum Ecclesia regebatur, judicium sequi, aliud autem nihil, nec Deum, nec ejus verbum spectare volumus: negari prorsus non potest, Apostolos, quod a Pontificibus et Sacerdotibus, hoc est, ab Ecclesia Catholica defecissent, et illis invitis et reclamantibus, multa

[9] Aug. Epist. 48. ad Vincen.

in Religione innovassent, recte fuisse ab illis, et secundum leges condemnatos. Itaque, ut Antæum aiunt olim ab Hercule tollendum fuisse a Terra matre, antequam ab eo posset vinci: ita adversarii nostri, ab ista matre sua, hoc est, ab ista inani specie atque umbra Ecclesiæ, quam præ se gerunt, levandi sunt: alioqui non possunt cedere Verbo Dei. Itaque Hieremias, Nolite, inquit,[1] tantopere jactare, esse apud vos Templum Domini: vana ea fiducia est: Sunt enim ista, inquit, verba mendacii. Et Angelus in Apocalypsi: Dicunt, inquit,[2] se Judæos esse, at sunt Synagoga Satanæ. Et Christus, cum Pharisæi jactarent genus et sanguinem Abrahami: Vos, inquit,[3] ex Diabolo patre estis: Abrahamum enim patrem non refertis. Ac si illis ita diceret: "Non estis id quod tantopere dici vultis. Imponitis populo inanibus titulis, et ad evertendam Ecclesiam abutimini nomine Ecclesiæ." Quare hoc istos primum liquido et vere probasse oportuit: Ecclesiam Romanam esse veram et orthodoxam Ecclesiam Dei; eamque, ut hodie ab ipsis administratur, cum primitiva Christi, Apostolorum, et sanctorum Patrum Ecclesia, quam non dubitamus fuisse Catholicam, convenire. Nos quidem, si inscitiam, si errorem, si superstitionem, si cultum idolorum, si hominum inventa, eaque

[1] Hier. vii. 4. [2] Apoc. ii. 9. [3] Joan. viii. 44.

sæpe pugnantia cum sacris Scripturis, judicassemus aut placere Deo, aut ad æternam salutem esse satis: aut si statuere potuissemus, Verbum Dei, ad aliquot tantum annos fuisse scriptum, postea oportuisse abrogari: aut omnino, dicta et jussa Dei subjicienda esse voluntati humanæ, ut quicquid ille dicat, aut jubeat, nisi Romanus Episcopus idem velit et jubeat, pro irrito et indicto habendum sit: si hæc in animum nostrum inducere potuissemus credere: fatemur nihil fuisse causæ, cur istorum societatem relinqueremus. Quod autem nunc fecimus, ut discederemus ab illa Ecclesia, cujus errores testati, ac manifesti essent; quæque jam aperte discessisset a Verbo Dei: neque tam ab ea, quam ab ejus erroribus; idque non turbulente aut improbe, sed tranquille ac modeste faceremus: nihil aut a Christo, aut ab Apostolis fecimus alienum. Neque enim ea est Ecclesia Dei, quæ infuscari labe aliqua non possit, aut non interdum egeat instauratione: alioqui quid tot Coitionibus et Conciliis opus est; sine quibus, ut ait Ægidius,[4] stare fides Christiana non potest? Quoties enim, inquit, Concilia intermittuntur, toties Ecclesia a Christo derelinquitur. Aut si nihil periculi est, ne quid Ecclesia detrimenti accipiat: quid opus est, ut nunc quidem est apud istos, inanibus

[4] In Lateran. Concil. sub Julio II.

nominibus Episcoporum? Cur enim illi Pastores appellantur, si oves nullæ sunt quæ possint errare? Cur vigiles, si civitas nulla est quæ possit prodi? Cur columnæ, si nihil est quod possit ruere? Statim ab initio rerum, Ecclesia Dei cœpta est propagari, eaque instructa cœlesti verbo, quod Deus ipse fuderat ab ore suo: instructa sacris cæremoniis, instructa Spiritu Dei, instructa Patriarchis et Prophetis: atque ita continuata est ad ea usque tempora, cum Christus sese ostenderet in carne.

Sed, o Deum Immortalem! quoties ea interim, et quam horribiliter obscurata atque imminuta est! Ubi enim ea tum fuit, cum omnis caro[5] contaminasset viam suam super terram? Ubi ea fuit, cum ex omni mortalium numero, octo tantum essent homines, et ne illi quidem omnes casti ac pii, quos Deus a communi clade, atque interitu vellet esse superstites? Cum Elias Propheta[6] ita lugubriter et acerbe quereretur, se solum ex omni terrarum orbe relictum esse, qui Deum vere, et rite coleret: cumque Esaias diceret,[7] Argentum populi Dei, hoc est, Ecclesiæ, factum esse scoriam: et civitatem eam, quæ aliquando fidelis fuerat, factam esse meretricem; et in ea a capite usque ad calcem, in toto corpore nihil esse integrum: aut cum Christus diceret,[8] Do-

[5] Gen. vi. 12.
[6] 3 Reg. xix. 14.
[7] Esai. i. 21, 22.
[8] Matt. xxi. 13.

mum Dei a Pharisæis et Sacerdotibus factam esse speluncam latronum? Scilicet Ecclesia, ut ager frumentarius, nisi exaretur, nisi subigatur, nisi colatur, nisi curetur, pro tritico carduos, et lolium et urticas proferet. Itaque Deus subinde misit Prophetas et Apostolos, postremo etiam Christum suum, qui populum in viam reducerent, et Ecclesiam vacillantem in integrum instaurarent. Neve quis dicat hæc in lege tantum, in umbra atque in infantia contigisse, cum figuris et cæremoniis veritas tegeretur, cum nihil adhuc ad perfectum adductum esset, cum lex non in cordibus hominum, sed in lapidibus incideretur (etsi ridiculum est illud quoque; idem enim omnino erat etiam tum Deus, idem Spiritus, idem Christus, eadem Fides, eadem Doctrina, eadem Spes, eadem Hæreditas, idem fœdus, eadem vis Verbi Dei: Et Eusebius ait,[9] Omnes fideles usque ab Adamo, re quidem ipsa Christianos fuisse, quamvis non ita dicerentur:) ne quis, inquam, ita dicat, Paulus Apostolus jam tum in Evangelio, in perfectione, in luce, similes errores et lapsus deprehendit: ut ad Galatas, quos jam antea instituerat, necesse habuerit ita scribere:[1] Vereor ne inter vos frustra laboraverim, et vos frustra audiveritis Evangelium.[2] Filioli mei, quos iterum parturio, donec Christus formetur in vobis. Nam de Corin-

[9] Eccl. Hist. lib. 1. cap. 4.
[1] Gal. iv. 11. [2] Ver. 19.

thiorum Ecclesia, quam illa fœde fuerit inquinata, nihil est necesse dicere.—Jam vero, an Galatarum et Corinthiorum Ecclesiæ labi potuerunt, sola Romana Ecclesia errare, et labi non potest? Certe Christus tanto ante prædixit[3] de Ecclesia sua, fore aliquando tempus, cum desolatio staret in loco sancto. Et Paulus Antichristum ait,[4] aliquando positurum esse tabernaculum suum in Templo Dei: et futurum ut homines sanam doctrinam non sustinerent,[5] sed in ipsa Ecclesia ad fabulas converterentur. Et Petrus, futuros, ait,[6] in Ecclesia Christi magistros mendaciorum. Et Daniel Propheta, de ultimis temporibus Antichristi, Veritas, inquit,[7] eo tempore prosternetur, et conculcabitur in terra. Et Christus, tantam ait[8] fore calamitatem et confusionem rerum, ut etiam electi, si posset fieri, abducendi sint in errorem. Atque ista omnia futura, non apud Paganos aut Turcas, sed in loco sancto, in Templo Dei, in Ecclesia, in cœtu ac societate illorum, qui professuri sint nomen Christi.

Et, quamvis ista vel sola possint homini prudenti esse satis, ne temere patiatur imponi sibi nomine Ecclesiæ, ut ne quid in eam ex Verbo Dei velit inquirere: tamen multi etiam sæpe Patres, viri docti et pii, vehementer questi sunt,

[3] Matt. xxiv. 15.
[4] 2 Thess. ii. 4.
[5] 2 Tim. iv. 3.
[6] 2 Pet. ii. 1.
[7] Dan. viii. 12.
[8] Matt. xxiv. 24.

hæc omnia suis temporibus accidisse. Deus enim in media illa caligine tamen voluit esse aliquos, qui, etsi non lucem ita conspicuam et illustrem darent, tamen quasi scintillam aliquam, quam homines in tenebris notare possent, accenderent.

Certe Hilarius, cum res adhuc incorruptæ quodammodo essent et integræ, tamen, Male, inquit,[9] vos parietum amor cepit: male Ecclesiam Dei in tectis ædificiisque veneramini: male sub iis pacis nomen ingeritis. Anne ambiguum est, in iis Antichristum esse sessurum? Montes mihi, et sylvæ, et lacus, et carceres, et voragines sunt tutiores: in illis enim Prophetæ, aut manentes aut demersi, Dei Spiritu prophetabant.

Gregorius, quasi videret, atque animo prospiceret ruinam rerum, ad Joannem Episcopum Constantinopolitanum, qui primus omnium se novo nomine salutari jusserat Universalem Episcopum totius Ecclesiæ Christi, ita scripsit:[1] Si Ecclesia pendebit ab uno, tota corruet. Et quis est, qui non hoc jam olim factum viderit? Jam olim Episcopus Romanus Ecclesiam totam a se uno pendere voluit; quare mirum non est, si ea jam olim tota corruerit. Bernardus Abbas, ante annos quadringentos, Nihil, inquit, jam integrum est in Clero: superest ut reveletur homo

[9] Contra Auxentium.
[1] In regist. Epist. ad Mauricium. lib. iv. Epist. 32.

peccati. Idem in conversione D. Pauli: Videtur, inquit, jam cessasse persecutio: immo jam incipit persecutio ab illis, qui in Ecclesia primas obtinent. Amici tui et proximi tui adversus te appropinquârunt et steterunt: a planta pedis usque ad verticem capitis, non est ulla sanitas. Egressa est iniquitas a senioribus judicibus, vicariis tuis, qui videntur regere populum tuum. Non possumus jam dicere, ut est populus, sic est Sacerdos; quoniam non ita est populus, ut Sacerdos. Heu, heu, Domine Deus! ipsi sunt in persecutione tua primi, qui videntur in Ecclesia tua primatum diligere, et gerere principatum. Idem in Cantica;[2] Omnes amici, omnes inimici: omnes necessarii, omnes adversarii: servi Christi, serviunt Antichristo. Ecce in pace mea amaritudo mea est amarissima. Rogerus Bacon, magni nominis vir, cum acri oratione perstrinxisset miserabilem statum sui temporis: Isti, inquit,[3] tot errores, Antichristum requirunt.

Gerson queritur, suo tempore omnem vim sacræ Theologiæ, ad ambitiosum certamen ingeniorum, et meram Sophisticam fuisse revocatam.

Fratres Lugdunenses,[4] homines, quod quidem ad vitæ rationem attinet, non mali, Romanam Ecclesiam, a qua tum una oracula omnia pete-

[2] Serm. 33. [3] In libello de Idiomate linguarum.
[4] Pauperes a Lugduno.

bantur, fidenter solebant affirmare, esse meretricem illam Babylonicam, de qua tam perspicuæ extent prædictiones in Apocalypsi, et cœtum inferorum.

Scio horum hominum autoritatem apud istos levem esse. Quid ergo, si illos testes advoco, qui solent ab ipsis adorari?

Quid si dico[5] Adrianum Episcopum Romanum ingenue confessum esse, omnia ista mala a Pontificio culmine cœpisse ruere?

Pighius in eo fatetur erratum esse, quod in Missam, quam alioqui videri vult Sacrosanctam, abusus complures invecti sint. Gerson, quod multitudine levissimarum cæremoniarum vis omnis Spritus Sancti, quam in nobis vigere oportuit, et vera pietas sit extincta. Græcia tota atque Asia, quod Pontifices Romani Purgatoriorum suorum, et Indulgentiarum nundinis, et vim hominum conscientiis attulerint, et illorum loculos expilaverint.

De Tyrannide vero Episcoporum Romanorum et fastu Persico, ut alios taceamus, (quos illi, quod vitia sua libere et ingenue reprehendant, hostium fortasse suorum loco numerabunt) illi ipsi, qui Romæ, in Urbe sancta, in oculis sanctissimi patris egerunt vitam, et omnia ejus intima videre potuerunt, et nunquam a Catholica fide discesserunt, Laurentius Valla, Marsilius Patavi-

[5] Platina.

nus, Franciscus Petrarcha, Hieronymus Savanarola, Abbas Joachimus, Baptista Mantuanus, et ante istos omnes, Bernardus Abbas, sæpe multumque conquesti sunt: ipsumque interdum Pontificem, vere ne an falso nihil dicimus, certe non obscure significabant esse Antichristum.

Neque vero est, quod quisquam objiciat, fuisse illos Lutheri discipulos, aut Zuinglii: Extiterunt enim non tantum annis, sed etiam seculis aliquot, antequam illorum nomina audirentur. Videbant illi etiam tum errores irrepsisse in Ecclesiam, eosque cupiebant emendatos. Et quid mirum, si Ecclesia erroribus abducta fuerit; illo præsertim tempore, cum nec Episcopus Romanus, qui summæ rerum solus præerat, nec alius fere quisquam, aut officium suum faceret, aut omnino officium suum intelligeret? Vix enim est credibile, illis otiosis et dormientibus, Diabolum toto illo tempore, aut dormivisse perpetuo, aut fuisse otiosum. Quid enim illi interim fuerint, quaque fide curaverint domum Dei, ut nos taceamus, audiant saltem Bernardum suum:

"Episcopi," (inquit)[6] "quibus nunc commissa est Ecclesia Dei, non doctores sunt, sed seductores: non pastores, sed impostores: non Prælati, sed Pilati."

Hæc Bernardus de Pontifice, qui se summum appellabat, deque Episcopis qui tum sedebant ad

[6] Ad Eugenium.

gubernaculum. Non erat ille Lutheranus, non erat hæreticus, ab Ecclesia non discesserat: tamen Episcopos illos, qui tum erant, non dubitavit seductores, impostores, Pilatos appellare. Jam vero cum populus palam seduceretur, et oculis hominum Christianorum imponeretur, et Pilatus sederet pro tribunalibus, et Christum Christique membra ferro flammæque adjudicaret, O Deus bone, quo tum loco erat Ecclesia Christi! Ex tot autem tamque crassis erroribus, quem unquam isti errorem repurgaverunt? aut quem omnino errorem agnoscere et confiteri voluerunt?

Sed quoniam isti suam esse affirmant universam possessionem Ecclesiæ Catholicæ; et nos, quod cum ipsis non sentiamus, appellant hæreticos; vide sane, Ecclesia ista quam tandem habeat notam aut significationem Ecclesiæ Dei. Neque vero Dei Ecclesiam, si eam velis serio et diligenter quærere, est adeo difficile deprehendere. Est enim excelso et illustri loco,[7] in vertice montis posita, ædificata videlicet in fundamentis Apostolorum et Prophetarum. Ibi (inquit Augustinus[8]) quæramus Ecclesiam: ibi decernamus causam nostram. Utque alibi idem ait,[9] Ecclesia ex sacris et canonicis Scripturis ostendenda est: quæque ex illis ostendi non potest, non est Ecclesia.

[7] Esa. ii. 2. Eph. ii. 20. [8] De Unitate Eccl. c. 3.
[9] Cap. 4.

Nescio tamen quo pacto, reverentiane, an conscientia, an desperatione victoriæ, ut latro crucem, ita isti semper horrent et fugiunt Verbum Dei. Neque id sane mirum. Ut enim cantharum aiunt in opobalsamo, odoratissimo alioqui unguento, facillime extingui atque emori: ita illi causam suam in Verbo Dei, tanquam in veneno, extingui vident, et suffocari.

Itaque sacrosanctas Scripturas, (quas Servator noster Jesus Christus non tantum in omni sermone usurpavit, sed etiam ad extremum sanguine suo consignavit) quo populum ab illis, tanquam a re periculosa et noxia, minore negotio abigant, solent literam frigidam, incertam, inutilem, mutam, occidentem, mortuam appellare: quod nobis quidem perinde videtur esse, ac si eas omnino nullas esse dicerent. Sed addunt etiam simile quoddam non aptissimum; eas esse quodammodo nasum cereum,[1] posse fingi flectique in omnes modos, et omnium instituto inservire. An Pontifex ista a suis dici nescit? aut tales se habere patronos non intelligit?

Audiat ergo quam sancte, quamque pie de hac re scribat Hosius quidam Polonus (ut ipse de se testatur) Episcopus, certe homo disertus, et non indoctus, et acerrimus ac fortissimus propugnator ejus causæ. Mirabitur, opinor, hominem pium de illis vocibus quas sciret profectas ab ore Dei,

[1] Pighius in Hierarchia.

vel tam impie sentire potuisse, vel tam contumeliose scribere; ita præsertim, ut eam sententiam non suam unius propriam videri vellet, sed istorum communem omnium.

Nos, inquit,[2] ipsas Scripturas, quarum tot jam non diversas modo, sed etiam contrarias interpretationes afferri videmus, facessere jubebimus; et Deum loquentem potius audiemus, quam ut ad egena ista elementa nos convertamus, et in illis salutem nostram constituamus. Non oportet Legis et Scripturæ peritum esse, sed a Deo doctum. Vanus est labor qui Scripturis impenditur. Scriptura enim creatura est, et egenum quoddam elementum. Hæc Hosius. Eodem prorsus spiritu atque animo, quo olim Montanus, aut Marcion, quos aiunt solitos esse dicere, cum sacras Scripturas contemptim repudiarent, se multo et plura et meliora scire, quam aut Christus unquam scivisset, aut Apostoli. Quid ergo hic dicam? O Culmina[3] Religionis! O Præsides Ecclesiæ Christi! An hæc ea reverentia vestra est; quam adhibetis Verbo Dei? An nos sacras Scripturas, quas D. Paulus ait divinitus afflatas esse, quas Deus tot miraculis illustrarit, in quibus Christi

[2] Hæc Hosius in lib. de expresso verbo Dei, sed astute, et sub alterius persona: quamvis et ipse alias eadem, in eodem etiam libro disertis verb. affirmet.

[3] Alit. *Calumnia* et *Columnia;* male. Forte scribend. est *Columnas.* Nam ver. Anglicana hujus Apologiæ anno 1571 edita, hunc locum sic exhibet, *O ye principal posts,* &c.

ipsius certissima vestigia impressa sint, quas omnes sancti Patres, quas Apostoli, quos Angeli, quas Christus ipse Filius Dei, cum opus esset, pro testimonio citarit; an eas vos, quasi indignæ sint quæ a vobis audiantur, facessere jubebitis? hoc est, Deo ipsi, qui vobis in Scripturis clarissime loquitur, silentium imponetis? aut illud verbum, quo uno, ut Paulus ait, reconciliamur Deo; quodque Propheta David ait[4] sanctum et castum esse, et in omne tempus esse duraturum; egenum tantum, et mortuum elementum appellabitis? Aut in eo, quod Christus[5] nos diligenter scrutari, quodque in oculis assidue habere jussit, omnem nostram operam dicetis frustra collocari? Et Christum, Apostolosque, cum hortarentur populum ad sacras literas, ut ex illis abundarent in omni sapientia et scientia, voluisse hominibus fucum facere? Non est mirum, si isti nos nostraque omnia contemnant, qui Deum ipsum ejusque oracula ita parvi faciant. Insulsum tamen erat, ut nos læderent, injuriam eos tam gravem facere Verbo Dei.

Tamen quasi hoc parum esset, comburunt etiam sacrosanctas Scripturas, ut olim impius Rex Aza, aut Antiochus, aut Maximinus; easque hæreticorum[6] libros appellant: omninoque id videntur velle facere, quod olim Herodes, ob-

[4] Psa xix. 8. [5] Joh. v. 39.
[6] Alit. *Solent hæreticorum libros appellare.*

tinendæ potentiæ suæ causa, in Judæa fecit. Is enim, cum esset Idumæus,[7] alienus a stirpe et sanguine Judæorum, haberi tamen cuperet pro Judæo, quo magis Regnum illorum, quod ab Augusto Cæsare impetraverat, sibi, posterisque suis confirmaret; omnes Genealogias, quæ apud illos in Archivis ab Abrahamo usque diligenter fuerant asservatæ, et ex quibus facile nullo errore deprehendi posset, e quo quisque genere oriundus esset, jussit incendi et aboleri, videlicet, ne quid superesset in posterum, quo ipse notari posset alieni sanguinis. Ita prorsus isti, cum omnia sua, quasi ab Apostolis, aut a Christo tradita, velint haberi in pretio; ne quid uspiam supersit, quod hujuscemodi somnia, et mendacia, possit coarguere, aut incendunt, aut populo intervertunt sacras Scripturas.

Recte sane, et valde in istos apposite scribit Chrysostomus:[8] Hæretici, inquit, claudunt januas veritati. Sciunt enim si illæ pateant, Ecclesiam non fore suam. Et Theophylactus: Verbum, inquit, Dei est lucerna, ad quam fur deprehenditur. Et Tertullianus: Sacra, inquit, Scriptura hæreticorum fraudes et furta convincit. Cur enim celant, cur supprimunt Evangelium, quod Christus de tecto sonari voluit? Cur illud lumen abdunt sub modium, quod stare oportuit in can-

[7] *Africanus* apud Euseb. Eccl. Hist. lib. i. cap. 7.
[8] In opere imperfecto.

delabro? Cur multitudinis imperitæ cæcitati atque inscitiæ magis quam causæ bonitati confidunt? An putant, artes jam suas non videri? aut se nunc, quasi Gygis annulum habeant, posse ambulare inconspicuos? Satis jam omnes, satis vident, quid sit in illo scrinio pectoris Pontificii: vel hoc ipsum argumento esse potest, non recte ab illis, non vere agi. Suspecta merito videri debet ea causa, quæ examen et lucem fugitat. Nam qui male facit, ut Christus ait, quærit tenebras et odit lucem. Animus bene sibi conscius ultro venit in conspectum, ut opera, quæ a Deo profecta sunt, videri possint. Illi autem non usque adeo cæci sunt, quin ut hoc satis videant, actum esse statim de regno suo: utque olim aiunt idola Dæmonum, a quibus omnia tum oracula petebantur, repente obmutuisse ad aspectum Christi, cum ille venisset in terras: ita nunc omnes artes suas ad aspectum Evangelii statim esse ruituras. Antichristus enim non abjicitur, nisi claritate[9] adventus Christi.

Nos quidem non, ut isti solent, ad flammas confugimus, sed ad Scripturas: nec illos ferro obsidemus, sed Verbo Dei. Ex illo, ut Tertullianus ait, fidem alimus: ex illo spem erigimus: ex illo fiduciam firmamus. Scimus enim, Evangelium Jesu Christi esse vim Dei[1] ad salutem, et in illo esse æternam vitam: utque Paulus mo-

[9] 2 Thess. ii. [1] Rom. i. 16.

net,[2] ne Angelum quidem Dei de cœlo venientem audimus, si nos ab aliqua parte hujus doctrinæ conetur avellere. Immo, ut vir sanctissimus Justinus Martyr de se loquitur: Ne Deo quidem ipsi fidem haberemus, si aliud nos doceret Evangelium. Nam quod isti sacras Scripturas, quasi mutas et inutiles, missas faciunt, et ad Deum potius ipsum in Ecclesia, et in Conciliis loquentem, hoc est, ad suos ipsorum sensus et sententias provocant: est ea ratio inveniendæ veritatis et admodum incerta, et valde periculosa, et quodammodo fanatica, et a sanctis Patribus non approbata. Chrysostomus quidem ait, Multos esse sæpe, qui jactent Spiritum Sanctum. At enim qui loquuntur de suo, falso se illum habere gloriantur. Quemadmodum enim, inquit, Christus negabat se loqui a seipso, cum loqueretur ex Lege et e Prophetis: ita nunc si quid præter Evangelium nomine Sancti Spiritus nobis obtrudatur, non est credendum. Ut enim Christus est impletio Legis et Prophetarum: ita Spiritus est impletio Evangelii. Hæc Chrysostomus.

Isti vero quamvis non habeant sacras literas, habent tamen fortasse Doctores veteres, et sanctos Patres. Id enim semper magnifice jactaverunt omnem antiquitatem, et perpetuum omnium temporum consensum a se facere: nostra vero

[2] Gal. i. 8.

omnia nova esse et recentia, ante paucos istos annos proximos nunquam audita.

Certe in Religionem Dei nihil gravius dici potest, quam si ea accusetur novitatis. Ut enim in Deo ipso, ita in ejus cultu nihil oportet esse novum. Nescimus tamen quo pacto ab initio rerum ita vidimus semper fieri, ut quotiescunque Deus quasi accenderet, et hominibus patefaceret veritatem suam, quamvis ea non tantum antiquissima, sed etiam æterna esset, tamen ab impiis hominibus et hostibus, recens et nova diceretur. Impius et sanguinarius vir Aman,[3] ut Judæos in odium adduceret, sic eos apud Regem Assuerum accusavit: Habes hic, inquit,[4] Rex, populum novis quibusdam utentem legibus, ad omnes autem tuas leges contumacem et rebellem. Paulus etiam Athenis[5] cum primum tradere cœpisset atque indicare Evangelium, dictus est novorum Deorum, hoc est, novæ Religionis annunciator. Et an non possumus, inquiunt, ex te scire, quæ sit ista nova doctrina? Et Celsus, cum ex professo scriberet adversus Christum, ut ejus Evangelium novitatis nomine per contemptum eluderet: An, inquit, post tot secula nunc tandem subiit Deum tam sera recordatio? Eusebius etiam[6] autor est, Christianam Religionem ab initio contumeliæ causa dictam fuisse νέαν καὶ

[3] Alit. *Haman.*
[4] Esth. ii. 8, &c.
[5] Act. xvii. 18, 19.
[6] Eccl. Hist. l. i. c. 4.

ξένην, hoc est, peregrinam et novam. Ita isti, nostra omnia, ut peregrina et nova condemnant: sua autem omnia quæcunque ea sunt, laudari volunt ut antiquissima. Ut hodie magi et malefici, quibus cum diis inferis res est, dicere solent se habere libros suos, atque omnia sacra et recondita mysteria ab Athanasio, a Cypriano, a Mose, ab Abelo, ab Adamo, atque etiam ab Archangelo Raphaële, quo ars illa excelsior et divinior judicetur, quæ ab hujusmodi patronis et inventoribus profecta sit: ita isti, quo illa sua Religio, quam ipsi sibi, idque non ita pridem pepererunt, vel stultis hominibus vel parum quid agant quidque agatur cogitantibus, facilius et magis commendetur, eam solent dicere ad se ab Augustino, ab Hieronymo, a Chrysostomo, ab Ambrosio, ab Apostolis, a Christo ipso pervenisse.

Satis enim sciunt, nihil istis nominibus popularius esse, aut in vulgus gratius. Verum, quid si ea quæ isti nova videri volunt, inveniantur esse antiquissima? Rursus, quid si ea fere omnia quæ isti antiquitatis nomine tantopere prædicant, ubi ea probe ac diligenter excussa fuerint, ad extremum inveniantur recentia et nova?

Profecto Judæorum leges, et cæremoniæ, quamvis eas Amanus[7] accusaret novitatis, non poterant hominum cuiquam vere et recte cogitanti videri

[7] Alit. *Hamanus.*

novæ. Erant enim antiquissimis tabulis consignatæ. Et Christus, quamvis eum multi putarent ab Abrahamo, et priscis Patribus discessisse, et novam quandam Religionem suo nomine invexisse; tamen vere respondit:[8] Si crederetis Mosi, crederetis mihi quoque. Nam doctrina mea non est ita nova. Moses enim, antiquissimus autor, cui vos omnia tribuistis,[9] de me locutus est. Et D. Paulus Evangelium Jesu Christi, etsi a multis novum esse judicetur, tamen habet, inquit, antiquissimum testimonium Legis et Prophetarum. Nostra vero doctrina, quam rectius possumus Christi catholicam doctrinam appellare, ita non est nova, ut eam nobis Antiquus dierum Deus et Pater Domini nostri Jesu Christi, monumentis vetustissimis in Evangelio, et in Prophetarum atque Apostolorum libris commendarit: eaque nunc nova nemini videri possit, nisi si cui aut Prophetarum fides, aut Evangelium, aut Christus ipse videatur novus. Istorum vero Religio, si ita antiqua et vetus est, uti eam ipsi videri volunt, cur eam ab exemplis primitivæ Ecclesiæ, ex antiquis Patribus et Conciliis veteribus non probant? Cur tam vetus causa tamdiu deserta jacet sine patrono? Ferrum quidem et flammam semper habuerunt ad manum: de Conciliis vero antiquis, et Patribus, magnum silen-

[8] Johan. v. 46. [9] Alit. *tribuitis*.

tium. Atqui absurdum erat ab istis ita cruentis et feris rationibus incipere, si potuissent alia argumenta leviora et mitiora inveniri. Quod si illi ita prorsus fidunt vetustati, et nihil simulant, cur ante non ita multos annos, Joannes Clemens Anglus, aliquot folia vetustissimi Patris et Græci Episcopi Theodoreti, in quibus ille perspicue ac luculenter docebat, naturam panis in Eucharistia non aboleri, cum putaret nullum aliud exemplar posse uspiam inveniri, inspectantibus aliquot bonis viris, et fide dignis, laceravit et abjecit in focum?[1] Cur negat Albertus Pighius, veterem Patrem Augustinum recte sensisse de peccato originis? aut de matrimonio,[2] quod post votum nuncupatum sit initum, (quod Augustinus asserit esse matrimonium, nec posse rescindi,) illum errare, et falsum esse dicit, nec proba uti Dialectica? Cur nuper cum excuderent veterem Patrem Origenem[3] in Evangelium Joannis, sextum illud caput, ubi illum credibile, vel potius certum est, contra ipsos de Eucharistia multa tradidisse, integrum omiserunt: et librum mutilum potius quam integrum, qui errores suos coargueret, dare maluerunt? An hoc est antiquitati confidere, antiquorum Patrum scripta lacerare, supprimere, truncare, comburere? Operæ

[1] Dist. 27. Quidam. August. de Bono Viduitat. cap. 10.
[2] Caus. 27. c. 4. nuptiarum bonum. In Controversiis.
[3] Liber hodie extat et circumfertur mutilus.

pretium est videre, quam pulchre isti cum illis Patribus, quos jactare solent esse suos, de Religione conveniant. Vetus Concilium Eliberitanum decrevit,[4] ne quid, quod colitur a populo pingeretur in Templis. Vetus Pater Epiphanius ait, esse horrendum nefas, et non ferendum flagitium, si quis vel pictam, quamvis Christi ipsius, imaginem excitet in templis Christianorum. Isti imaginibus et statuis, quasi sine illis Religio nulla sit, omnia templa sua, atque omnes angulos compleverunt. Veteres Patres, Origenes et Chrysostomus,[5] hortantur populum ad lectionem sacrarum literarum, ut libros coemant, ut de rebus sacris inter se, uxores cum viris, parentes cum liberis domi disputent: isti Scripturas condemnant tanquam mortua elementa, et ab illis quantum maxime possunt, arcent populum. Veteres Patres Cyprianus, Epiphanius, Hieronymus,[6] siquis forte voverit se velle vivere vitam cœlibem, et postea vivat impure, nec possit incendia cupiditatum cohibere: satius esse dicunt, ut ducat uxorem, et sese caste gerat in matrimonio, atque illud ipsum matrimonium vetus Pater Augustinus ratum et firmum esse judicat, nec oportere revocari: isti eum, qui se voto semel obstrinxerit,

[4] Habitum anno Christi 305. vide c. 3.
[5] Origenes in Levit. c. 16. Chrysos. in Matt. hom. 2. Idem in Joan. hom. 31.
[6] Cyprian, Epist. ii. lib. 1. Epiphan. contra Apostolicos Hære. 61. Hieron. ad Demetriadem.

quantumvis uratur postea, quantumvis scortetur, quantumvis flagitiose et perdite contaminetur, tamen illum non sinunt uxorem ducere: aut si forte duxerit, tamen negant illud esse matrimonium; et satius multo ac sanctius esse docent, concubinam aut scortum alere, quam ita vivere. Augustinus vetus Pater querebatur de multitudine inanium cæremoniarum, quibus jam tum videbat hominum animos et conscientias opprimi: isti, quasi aliud nihil Deo curæ sit, ita cæremonias auxerunt in immensum, ut nihil jam pene aliud in illorum templis, et sacris relictum sit. Vetus Pater Augustinus negat[7] fas esse, monachum ignavum in otio degere; et specie ac simulatione sanctitatis, ex alieno vivere: et illum qui ita vivat, vetus Pater Apollonius ait, latroni esse similem. Isti monachorum habent, armentane[8] dicam, an greges, qui cum prorsus nihil agant, et ne simulent quidem, aut præ se gerant[9] speciem ullam sanctitatis, tamen non tantum vivant, sed etiam luxurientur ex alieno. Vetus Concilium Romanum decrevit,[1] ne quis intersit sacris quæ dicantur ab illo sacerdote, quem certum sit alere concubinam: isti et concubinas locant mercede Sacerdotibus suis, et ad illorum sacrilegia homines invitos per vim adigunt.

[7] De opere monachorum.
[8] Alit. *armenta, ne dicam, greges.*
[9] Alit. *ferant.*
[1] Can. 3.

Veteres Canones Apostolorum,[2] illum Episcopum, qui simul et civilem Magistratum, et Ecclesiasticam functionem obire velit, jubent ab officio summoveri: isti utrumque Magistratum et obeunt, et obire omnino volunt; vel potius alterum, quem ab illis maxime obiri oportuit, non attingunt: nemo tamen est qui illos jubeat summoveri. Vetus Concilium Gangrense jubet, ne quis ita distinguat Sacerdotem cœlibem a marito, ut cœlibatus causa alterum putet altero sanctiorem: isti eos ita distinguunt, ut a pio et probo viro qui uxorem duxerit, omnia sua sacra statim putent profanari. Vetus Imperator, Justinianus,[3] jussit in sacro Ministerio omnia clara, et quam maxime arguta et expressa voce pronuntiari, ut fructus ex ea re aliquis ad populum redire posset: isti ne quid populus intelligat, omnia sua non tantum obscura et submissa voce, sed etiam aliena, et barbara lingua mussitant. Vetus Concilium[4] Carthaginense jubet, ne quid in sacro cœtu legatur præter Scripturas Canonicas: isti ea legunt in templis suis, quæ ne ipsi quidem dubitant esse mera mendacia, et inanes fabulas. Quod siquis ista infirma putat esse, ac levia, quod ab Imperatoribus et minutis quibusdam Episcopis, et non ita plenis Conciliis decreta fuerint, et Papæ magis autoritate ac nomine delectatur; Julius

[2] Can. 8. [3] In Novellis Const. 123.
[4] Tertium Carth. cap. 47.

Papa diserte vetat,[5] ne Sacerdos, dum peragit sacra mysteria, panem immergat in calicem: isti contra decretum Julii Papæ, panem dividunt et immergunt. Clemens Papa negat fas esse Episcopo gerere utrumque gladium; et si utrumque, inquit, habere vis, et teipsum decipies, et eos qui te audient. Jam Papa gladium utrumque sibi vindicat, et utrumque gerit: quare minus mirum videri debet, si illud secutum sit quod Clemens ait, ut ille et seipsum deceperit, et illos qui eum audierint. Leo Papa in uno templo unam tantum ait fas esse Missam dicere uno die: isti in uno templo quotidie, sæpe denas, sæpe vicenas, sæpe tricenas, sæpe etiam plures Missas dicunt; ut miser spectator vix scire possit, quo se potissimum debeat vertere. Gelasius Papa, si quis dividat Eucharistiam, et cum alteram partem suscipiat, abstineat ab altera, eum ait improbe facere, et sacrilegium committere: isti contra Verbum Dei, contraque Gelasium Papam, alteram tantum partem Eucharistiæ populo dari jubent; et in ea re, sacerdotes suos alligant sacrilegio.

Quod si illi hæc omnia usu jam ipso antiquata esse dicent, et mortua, et nihil ad ista tempora pertinere: tamen ut omnes intelligant, quæ fides istis hominibus habenda sit, quaque spe Concilia ab illis convocentur; videamus paucis, quam

[5] De Cons. dist. 2. Cum enim nemo.

probe curent ea, quæ proximis istis annis, recenti adhuc memoria in publico Concilio legitime indicto, ipsi sancte observanda esse decreverunt. In Concilio proximo Tridentino, vix ante annos quatuordecim, sancitum est communibus suffragiis omnium ordinum, ne cui uni committerentur duo sacerdotia uno tempore. Ubi nunc est illa sanctio? An ea quoque tam cito antiquata est et mortua? Nam isti quidem non tantum duo sacerdotia, sed etiam complura sæpe monasteria, et Episcopatus modo binos, modo ternos, modo quaternos uni tribuunt; eique non tantum indocto, sed etiam sæpe homini militari.—In eodem Concilio decretum est, oportere omnes Episcopos docere Evangelium: isti neque docent, neque in pulpitum unquam ascendunt, neque id putant quidquam ad munus suum pertinere.—Quæ ergo est ista pompa vetustatis? Quid de priscorum Patrum, quid de Conciliorum, novorum veterumque nominibus gloriantur? Quid videri volunt niti autoritate illorum, quos cum visum est, pro libidine contemnunt?

Sed gestit animus cum Pontifice potius ipso agere, et hæc illi coram in os dicere. Dic ergo nobis,[6] pie Pontifex, qui omnia antiqua crepas,

[6] De Major. et Obed. Unam sanctam. In extra. Bonifacii VIII. Durandus. Concil. Lat. sub Julio II. Dis. 9. Innocen. De Major. et Obed. soli. In extravag. Joan. 22. c. Cum inter nonnullos. In glossa finali. In edit. impressa Parisiis, 1503.

et omnes tibi uni addictos esse gloriaris; ex omnibus Patribus quis unquam te vel summum Pontificem, vel universalem Episcopum, vel caput Ecclesiæ appellavit? Quis tibi traditum esse dixit utrumque gladium? Quis te habere autoritatem et jus convocandi Concilia? Quis universum mundum esse diœcesim tuam? Quis de tua plenitudine Episcopos omnes accipere? Quis tibi datam esse omnem potestatem tam in cœlo, quam in terra? Quis te nec a Regibus, nec a toto clero, nec ab universo populo posse judicari? Quis Reges et Imperatores, de jussu et voluntate Christi, a te accipere potestatem? Quis te ita exquisita, et mathematica ratione, septuagies septies majorem esse maximis Regibus? Quis tibi potestatem ampliorem tributam esse, quam reliquis Patriarchis? Quis te Dominum Deum esse, aut non purum hominem, aut quiddam coagmentatum et concretum ex Deo et homine? Quis te unum fontem esse omnis juris? Quis te imperium[7] habere in purgatorium? Quis te pro tuo arbitrio imperare posse Angelis Dei? Quis te esse Regem regum et Dominum dominantium unquam dixit? Possumus alia quoque eodem modo. Ex omni numero veterum Episcoporum et Patrum, quis unquam unus te docuit, vel inspectante populo, Missam privatam dicere,

[7] Antonius de Rosellis.

vel Eucharistiam supra caput attollere, qua in re omnis nunc Religio tua continetur: vel Christi Sacramenta truncare, et contra ejus institutum, atque expressa verba, altera parte populum fraudare? Utque semel finem faciamus, ex omnibus Patribus, quis unus te docuit, Christi sanguinem, et sanctorum Martyrum merita dispensare, et indulgentias tuas, atque omnia spatia Purgatorii, ceu merces in foro vendere?

Soliti sunt isti sæpe reconditam quandam doctrinam suam, et multiplices variasque lectiones prædicare. Proferant ergo nunc aliquid si possunt, ut aliquid saltem legisse ac scire videantur.

Clamarunt sæpe fortiter in omnibus circulis, omnes partes Religionis suæ antiquas esse, et non tantum multitudine, sed etiam consensu et continuatione omnium nationum et temporum approbatas. Ostendant ergo aliquando antiquitatem istam suam: faciant, ut appareat ista, quæ tantopere prædicant esse tam late propagata. Doceant omnes nationes Christianas in suam istam Religionem concessisse. Sed fugiunt, ut jam ante diximus, a decretis ipsi suis: eaque quæ ante ita paucos annos ab ipsis in omnem æternitatem sancita erant tam brevi tempore resciderunt. Quid ergo illis fidendum est in Patribus, in veteribus Conciliis, in verbis Dei? Non habent, ô Deus bone, non habent ea, quæ se habere gloriantur; non antiquitatem, non universalita-

tem; non locorum, non temporum omnium consensum. Idque ipsi, etsi dissimulatum potius cuperent, tamen non ignorant: immo etiam interdum non obscure confitentur. Itaque veterum Conciliorum, et Patrum sanctiones, aiunt ejusmodi esse, ut interdum mutari possint: aliis enim temporibus Ecclesiæ, alia atque alia decreta convenire. Atque ita sese abdunt sub nomine Ecclesiæ, et inani fuco miseris mortalibus illudunt. Et mirum est, aut ita cæcos esse homines ut ista videre non possint: aut si videant, ita esse patientes, ut ea tam facile, tamque æquo animo possint ferre.

Sed cum illa tanquam nimium jam vetera et obsoleta, juberent esse irrita: alia quædam fortasse meliora, atque utiliora, reposuerunt. Solent enim dicere, ne Christum quidem ipsum, aut Apostolum, si reviviscant, melius, aut sanctius administrare posse Ecclesiam Dei, quam quomodo nunc administratur ab ipsis. Reposuerunt illi quidem alia: sed quemadmodum Hieremias ait, Paleam pro tritico: eaque, ut ait Esaias, quæ Deus ab illis non requisivit. Obturarunt omnes venas aquæ vivæ, et exsciderunt populo Dei cisternas ruinosas, et lutulentas, plenas limo et sordibus, quæ nec habent aquam puram, nec eam poterant continere. Eripuerunt populo sacram Communionem: verbum Dei, unde omnis consolatio petenda erat: verum cultum Numinis:

rectum usum sacramentorum et precum: dederunt autem nobis de suo, quibus nos interim oblectaremus, sales, aquas, ampullas, sputa, ramusculos, bullas, jubilæa, indulgentias, cruces, suffitus, et infinitum numerum cæremoniarum, et ludos, ut Plautus ait, ludificabiles. In his illi rebus omnem Religionem collocarunt: his rebus docuerunt Deum rite placari posse: his abigi Dæmones: his confirmari hominum conscientias. Hæc, videlicet, sunt pigmenta, et Myrothecia Religionis Christianæ. Hæc Deo videnti, grata et accepta sunt: hæc oportuit in honorem venire, ut Christi et Apostolorum instituta tollerentur. Atque, ut olim Rex impius Hieroboam, cum cultum Dei sustulisset, et populum ad aureos vitulos adduxisset, ne forte postea mutarent voluntatem, et a se dilaberentur, et redirent Hierosolymam ad Templum Dei; eos longa oratione cohortatus est ad constantiam: Hi, inquiens, Israel, sunt Dii tui: Hoc pacto Deus vester jussit se a vobis coli: Grave autem vobis, et molestum erit iter tam longinquum suscipere, et quotannis ad salutandum et colendum Deum ascendere Hierosolymam. Ita prorsus isti, cum semel traditionum suarum causa irritam fecissent legem Dei, ne populus postea oculos aperiret, et alio dilaberetur, atque aliunde peteret certiorem aliquam rationem salutis suæ; O quoties acclamarunt hunc esse illum cultum, qui Deo placeat,

quemque ille a nobis exigat, quoque iratus flecti velit! His rebus Ecclesiæ consensum contineri: his rebus omnia peccata expiari, et tranquillari conscientias: qui discesserit ab his, eum sibi nihil spei ad æternam salutem reliquisse! Grave autem ac molestum populo esse, ad Christum, ad Apostolos, ad veteres Patres respicere, quidque illi velint aut jubeant, perpetuo attendere! Hoc, videlicet, est populum Dei ab infirmis mundi elementis, a fermento Scribarum et Pharisæorum, et ab humanis traditionibus abducere! Christi atque Apostolorum jussa loco moveri oportuit, ut ista succederent! O justam causam, cur vetus et multis seculis probata doctrina antiquaretur, et in Ecclesiam Dei nova forma Religionis inveheretur! Tamen quicquid est, clamant isti, nihil oportere immutari: his rebus hominum animis satisfieri: Romanam Ecclesiam ista decrevisse: eam errare non posse. Sylvester enim Prierias ait, Ecclesiam Romanam esse normam, et regulam veritatis: sacras Scripturas ab illa, et autoritatem, et fidem accipere. Doctrina, inquit, Romanæ Ecclesiæ, est regula fidei infallibilis, a qua sacra Scriptura robur accipit. Et indulgentiæ, inquit, autoritate Scripturæ non innotuerunt nobis, sed innotuerunt autoritate Romanæ Ecclesiæ Romanorumque Pontificum, quæ major est. Pighius etiam non dubitat dicere, injussu Romanæ Ecclesiæ ne clarissimæ quidem Scrip-

turæ credendum esse. Prorsus, ut siquis istorum, qui Latine recte ac pure loqui non possit, aliquid tamen in ea lingua pro forensi consuetudine celeriter et expedite balbutiat, omnino dicat ad eum nunc modum aliis etiam omnibus loquendum esse, quo ante multos annos Mammetrectus aut Catholicon locuti sint, quoque adhuc ipsi utantur in foro: sic enim satis intelligi posse, quid dicatur, et hominum voluntati satisfieri: ridiculum autem esse, nunc tandem novo dicendi genere turbare orbem terrarum, et Ciceronis aut Cæsaris veterem in dicendo puritatem atque eloquentiam, revocare.

Tantum, scilicet, isti debent inscitiæ ac tenebris superiorum temporum. Multa, ut ait quidam,[8] habentur sæpe in pretio, tantum quod dicata aliquando fuerint Deorum templis: ita nos videmus multa hodie probari ab istis, et magni fieri, non quod ea tanti esse judicent, sed tantum quod recepta fuerint consuetudine et quodammodo dicata templo Dei.

At Ecclesia, inquiunt, nostra errare non potest. Id opinor, ita dicunt, ut olim Lacedæmonii solebant dicere, in tota sua Republica nullum posse inveniri adulterum, cum revera omnes potius essent adulteri; et incertis nuptiis et uxoribus inter se communibus uterentur: aut ut hodie Canonistæ[9]

[8] Plinius.
[9] Summa Angelica in dictione Papæ.

ventris causa solent de Papa dicere: illum, cum sit Dominus omnium beneficiorum, etsi pretio vendat Episcopatus, Monasteria, Sacerdotia, et nihil a se gratis abire sinat; tamen, cum ea omnia dicat esse sua, etiamsi maxime velit, non posse committere Simoniam.[1] Quam autem id firmum sit, quamque consentaneæ[2] rationi dicatur, nos adhuc videre non possumus; nisi forte, ut olim veteres Romani victoriæ, ita isti veritati, postquam ea semel ad illos pervenisset, alas quibus advolaverat detraxerint, ne posset in posterum avolare. Sed quid si illis Hieremias dicat, ut supra commemoravimus, Hæc esse verba mendacii? Quid si idem rursus dicat, illos ipsos, quos vinitores esse oportuit, dissipasse ac perdidisse vineam Domini? Quid si Christus dicat: illos quibus maxime templum oportuit esse curæ, ex Templo Domini fecisse speluncam latronum? Quod si errare Ecclesia Romana non potest, felicitatem ejus oportet majorem esse, quam istorum prudentiam. Ea enim est illorum vita, doctrina, diligentia, ut per eos quidem non tantum errare Ecclesia, sed etiam funditus interire, et extingui possit. Profecto si errare Ecclesia ea potest, quæ a Verbo Dei, quæ a jussis Christi, quæ ab Apostolorum institutis, quæ a primitivæ Ecclesiæ exemplis, quæ a ve-

[1] Theodoricus de Schismat.
[2] Alit. *consentanea ratione.*

terum Patrum et Conciliorum sanctionibus, quæ a suis ipsius decretis discesserit, quæ nullis, nec veteribus, nec novis, nec suis, nec alienis, nec humanis, nec divinis legibus teneri velit: certum est Ecclesiam Romanam non tantum potuisse errare, sed etiam flagitiose et turpiter erravisse.

At de nostris, inquient, fuistis: nunc autem apostatæ facti estis, et a nobis discessistis. Discessimus quidem ab illis, et ea de re, et Deo Opt. Maximo gratias agimus, et nobis magnopere gratulamur. At a primitiva Ecclesia, ab Apostolis, a Christo non discessimus. Educati quidem sumus apud istos in tenebris et ignoratione Dei, ut Moses in disciplinis, et in sinu Ægyptiorum: de vestris fuimus, inquit Tertullianus, fateor, nec mirum: Fiunt enim, inquit, non nascuntur Christiani. Sed cur ipsi de suis illis septem montibus, in quibus olim Roma stetit, descenderunt, ut in planitie potius, in campo Martio habitarent? [3] Dicent fortasse, quod jam aquarum ductus, sine quibus non possent commode vivere, in illis montibus defecissent. Dent isti sane eam nobis veniam de aqua æternæ vitæ, quam volunt sibi dari de aqua puteali. Aqua jam apud istos defecerat: Seniores, ut Hieremias ait, mittebant parvulos suos ad aquas: at illi, cum nihil invenirent, miseri et siti perditi retulerunt vasa inania. Egeni,

[3] Alit. *dicant*.

inquit Esaias, et pauperes quærebant aquas, sed eas nullas uspiam invenerunt. Lingua illorum siti jam aruerat. Isti omnes canales, et ductus perfregerant: isti obstruxerant omnes venas, et cœno lutoque oppleverant fontem Aquæ vivæ: Utque olim Caligula, occlusis omnibus horreis, publicam populo inediam et famem: ita illi, obturatis omnibus fontibus verbi Dei, sitim populo miserabilem induxerant. Illi hominibus famem, ut ait Amos Propheta[4], sitimque attulerant: non famem panis: non sitim aquæ: sed audiendi verba Dei. Circumibant miseri quærentes scintillam aliquam divinæ lucis, ad quam exhilararent conscientias: at ea jam prorsus extincta erat: nihil potuerunt invenire.—Hæc erat conditio, hæc erat miserabilis forma Ecclesiæ Dei. Misere in ea sine Evangelio, sine luce, sine consolatione ulla vivebatur.

Quare etsi discessio illis nostra molesta est, tamen cogitare debent quam justa fuerit causa discessionis. Nam si dicent, ab ea societate in qua fueris educatus, nullo modo fas esse discedere: facile possunt in nostro capite et Prophetas, et Apostolos, et Christum ipsum condemnare. Nam cur hoc etiam non queruntur, Lothum e Sodoma; Abramum e Chaldæa; Hebræos ex Ægypto; Christum a Judæis; Paulum a Pharisæis discessisse? Nisi enim justa aliqua

[4] Amos viii. 11.

possit esse causa discessionis, nihil videmus, cur non illi quoque possint eodem modo, factionis et seditionis accusari.

Quod si nos damnandi sumus pro hæreticis, qui istorum imperata omnia non facimus; quid illi? qui tandem, aut quales videri debent, qui Christi et Apostolorum imperata contemnunt? Si nos sumus schismatici, qui discessimus ab istis; quo tandem illos nomine appellabimus, qui a Græcis, a quibus fidem acceperunt, ab Ecclesia primitiva, a Christo ipso, ab Apostolis, tanquam a parentibus discesserunt? Nam Græci quidem, qui hodie profitentur Religionem et nomen Christi, etsi multa habeant contaminata, magnam tamen adhuc partem retinent eorum quæ acceperant ab Apostolis. Itaque nec privatas habent Missas, nec truncata Sacramenta, nec Purgatoria, nec Indulgentias. Pontificios vero titulos, et magnifica nomina tanti faciunt, ut quicunque eos imponat sibi, seque vel universalem Episcopum, vel Ecclesiæ totius caput velit appellari; eum illi non dubitent, et superbum hominem, et in omnes alios Episcopos fratres suos contumeliosum, et hæreticum esse dicere.

Jam vero cum perspicuum sit, et negari non possit, istos ab illis a quibus Evangelium, a quibus Fidem, a quibus Religionem, a quibus Ecclesiam acceperunt, defecisse: quid causæ est, cur nunc ad eosdem, tanquam ad fontes, nolint revo-

cari? Cur quasi Apostoli omnes, Patresque nihil viderint, ita illorum temporum similitudinem reformidant? An enim isti plus vident, aut Ecclesiam Dei pluris faciunt, quam illi, qui ista tradiderunt? Nam nos quidem discessimus ab illa Ecclesia, in qua nec verbum Dei pure audiri potuit, nec sacramenta administrari, nec Dei nomen, ut oportuit, invocari: quam ipsi fatentur multis in rebus esse vitiosam: in qua nihil erat, quod quenquam posset prudentem hominem, et de sua salute cogitantem, retinere. Postremo, ab Ecclesia ea discessimus, quæ nunc est, non quæ olim fuit: atque ita discessimus, ut Daniel e cavea leonum, ut tres illi pueri ex incendio: nec tam discessimus, quam ab istis diris et devotionibus ejecti sumus.

Accessimus vero ad illam Ecclesiam, in qua ne ipsi quidem, si vere atque ex animo loqui volunt, negare possunt omnia caste ac reverenter, et quantum nos maxime assequi potuimus, proxime ad priscorum temporum rationem administrari. Conferant enim Ecclesias nostras suasque inter se: videbunt et se turpissime ab Apostolis, et nos ab ipsis justissime discessisse.—Nos enim cum Christo, Apostolis, et sanctis Patribus Eucharistiam populo damus integram: isti, contra omnes Patres, contra omnes Apostolos, contra Christum ipsum, cum summo, ut Gelasius ait, sacrilegio, Sacramenta dividunt, et alteram partem populo eripiunt.

Nos Cœnam Dominicam ad Christi institutionem revocavimus, eamque quam maxime, quamque plurimis communem, utque appellatur, ita re ipsa communionem esse volumus. Isti contra institutum Christi omnia immutarunt, et ex sacra communione privatam fecerunt missam: atque ita nos cœnam præbemus populo, isti inane spectaculum.

Nos cum antiquissimis Patribus affirmamus, corpus Christi non comedi nisi ab hominibus piis et fidelibus, et imbutis spiritu Christi: isti docent ipsissimum corpus Christi re ipsa, utque ipsi loquuntur, "realiter," et "substantialiter," non tantum ab impiis et infidelibus, sed etiam, quod horrendum dictu est, a muribus et canibus posse comedi.

Nos ita precamur in templis, ut quemadmodum Paulus monet,[4] populus scire possit quid precemur, et communibus votis respondere Amen: isti ut æs tinniens, voces in templis ignotas et peregrinas, sine intelligentia, sine sensu, sine mente fundunt: et omnino id agunt, ne populus quidquam possit intelligere.

Et ne omnia discrimina commemoremus, (sunt enim prope infinita) nos Scripturas sacras convertimus in omnes linguas: isti eas vix exstare patiuntur in ulla lingua. Nos invitamus populum ad legendum, et audiendum verbum Dei: isti abigunt. Nos causam ab omnibus cognosci

[4] 1 Cor. xiv. 16.

volumus: isti fugiunt judicium. Nos scientia nitimur: isti inscitia. Nos luci fidimus: isti tenebris. Nos colimus, ut par est, voces Apostolorum et Prophetarum: isti comburunt. Postremo, nos in Dei causa, Dei unius judicio stare volumus: isti stare volunt suo. Quod si illi hæc omnia tranquillo animo, et ad audiendum, discendumque comparato spectare velint: non tantum probabunt institutum nostrum, qui relictis erroribus, Christum, ejusque Apostolos secuti sumus; sed ipsi etiam a se deficient, seque ultro aggregabunt ad partes nostras.

Atqui sine sacro Œcumenico Concilio nefas, inquient, fuit ista tentare: ibi enim esse omnem vim Ecclesiæ: ibi Christum pollicitum esse sese semper præsto affuturum.—Atqui ipsi mandata Dei et Apostolorum decreta violarunt, utque jam diximus, omnia prope, non tantum instituta, sed etiam dogmata primitivæ Ecclesiæ dissipaverunt, nihil expectato sacro Concilio.

Verum quod aiunt, nihil cuiquam fas esse innovare sine Concilio: quis tandem scripsit nobis istas leges? Aut unde isti hoc edictum habuerunt?

Ridicule quidem fecit ille Rex,[5] qui cum oraculo certus esset de sententia et voluntate summi Jovis, postea rem integram retulit ad Apollinem; ut sciret an idem illi videretur quod

[5] Agesilaus.

patri. Nos autem multo ineptius faceremus, si, cum Deum ipsum nobis in sacrosanctis Scripturis aperte loquentem audiamus, ejusque voluntatem et mentem intelligamus, postea, quasi id nihil sit, rem integram referre velimus ad Concilium: quod non aliud est, quam quærere, an idem hominibus videatur quod Deo: et an homines velint mandata Dei autoritate sua comprobare. Quid enim? nisi Concilium velit et jubeat, verum non erit verum? aut Deus non erit Deus? Si Christus ab initio ita facere voluisset, ut nihil doceret, aut diceret invitis Episcopis: omnem autem doctrinam suam ad Annam et Caiapham retulisset; ubi nunc esset fides Christiana? aut quis unquam audisset Evangelium? Petrus quidem (quem Pontifex sæpius, magisque prædicare solet, quam Jesum Christum) fidenter restitit sacro Concilio: et satius, inquit,[6] est obtemperare Deo, quam hominibus. Et Paulus,[7] cum semel animo hausisset Evangelium, idque non ab hominibus neque per hominem sed per solam voluntatem Dei; non deliberavit cum carne et sanguine, nec retulit ad cognatos aut fratres suos, sed statim abiit in Arabiam, ut divina Mysteria Deo autore publicaret.

Nos quidem Concilia, et Episcoporum doctorumque hominum conventus et colloquia non contemnimus. Neque ea quæ fecimus, prorsus sine

[6] Acts iv. 19. [7] Ad Gal. i. 12. 16, 17.

Episcopis aut sine Concilio fecimus. Plenis Comitiis res acta est, longa deliberatione, frequenti Synodo. De isto vero Concilio, quod nunc a Pio Pontifice simulatur, in quo homines non appellati, non auditi, non visi, ita facile condemnantur; quid nobis expectandum aut sperandum sit, non est difficile divinare.

Nazianzenus olim,[8] cum suo tempore videret homines in hujusmodi conventibus ita esse cæcos et obstinatos, ut abducerentur affectibus, et victoriam magis quærerent, quam veritatem, diserte pronuntiavit, se nullius Concilii unquam exitum vidisse bonum. Quid ille nunc diceret, si hodie viveret, et istorum conatus intelligeret? Nam tum quidem, etsi studebatur partibus; tamen causæ cognoscebantur, et errores manifesti omnium partium suffragiis communibus tollebantur. Isti vero nec causam disceptari libere volunt, nec, quantumcunque sit errorum, quidquam patiuntur immutari.

Id enim illi sæpe, et sine fronte jactare solent, Ecclesiam suam errare non posse: nihil esse in ea vitii, nihil esse nobis concedendum. Aut, si quid sit, tamen Episcoporum et Abbatum esse hoc Judicium: illos esse moderatores rerum: illos esse Ecclesiam Dei. Aristoteles ait, Spurios non posse facere civitatem: an autem ex istis effici

[8] Nazian. ad Procopium.

possit Ecclesia Dei, ipsi videant. Certe nec legitimi sunt Abbates, nec genuini Episcopi.

Sed sint sane Ecclesia; audiantur in Conciliis; soli habeant jus suffragandi. Olim tamen cum Ecclesia Dei, si ad istorum quidem Ecclesiam conferatur, satis commode regeretur, ut Cyprianus ait, advocabantur ad Ecclesiasticarum causarum cognitionem et Presbyteri et Diaconi et nonnulla etiam pars plebis.

Sed quid si isti Abbates et Episcopi nihil sciant? Quid si, quid sit Religio, quidque de Deo sentiendum sit, non intelligant? Quid si lex perierit a Sacerdote, et consilium a Senioribus? Quid si, ut ait Micheas,[9] nox illis sit pro visione, et tenebræ pro divinatione? Quid si, ut Esaias ait,[1] omnes speculatores civitatis facti sunt cæci? Quid si sal vim suam et saporem amiserit? utque Christus ait,[2] ad nullum usum sit accommodus, ne ad id quidem ut abjiciatur in sterquilinium?

Ad Papam scilicet omnia deferent, qui errare non potest. At illud primum ineptum est, Spiritum Sanctum a sacro Concilio curriculo avolare Romam; ut si quid dubitet aut hæreat, et sese explicare non possit, ab alio nescio quo spiritu doctiore consilium capiat. Nam, si ita est, quid opus erat tot Episcopos tantis impensis, tam longinquis itineribus, Tridentum hoc tempore

[9] Mich. iii. 6. [1] Esai. lvi. 10. [2] Matt. v. 13.

convocari? Consultius multo erat et satius, certe multo et brevius et commodius, ut ad Papam potius omnia rejicerent, et statim ad illius sacri pectoris oraculum devenirent. Deinde etiam iniquum est, causam nostram a tot Episcopis et Abbatibus, ad unius hominis judicium devolvere; ejus præsertim, qui a nobis gravissimis criminibus accusetur, nec adhuc causam suam dixerit, et nos, antequam vocaremur ad judicium, sine judicio condemnarit. An ergo nos ista fingimus? aut ista hodie non est ratio Conciliorum? Aut non omnia a sacro Concilio ad unum Pontificem deferuntur: ut, quasi tot sententiis, et subscriptionibus nihil sit actum, ille unus possit addere, mutare, minuere, abrogare, approbare, relaxare, restringere quicquid velit? Quorum ergo hominum sunt hæc verba? cur Episcopi et Abbates, non ita pridem in proximo Concilio Tridentino, ita ad extremum decreverunt: "Salva semper in omnibus sedis Apostolicæ autoritate?" Aut cur Paschalis Papa ita insolenter de se scribit? Quasi, inquit, Romanæ Ecclesiæ legem Concilia ulla præfixerint:[3] cum omnia Concilia per Romanæ Ecclesiæ autoritatem et facta sint, et robur acceperint, et in illorum statutis Romani Pontificis patienter excipiatur autoritas? Si ista rata esse volunt, cur Concilia indicuntur? sin ea jubent esse irrita, cur in istorum libris, quasi integra relinquuntur?

[3] De electione et electi potestate. cap. Significasti.

Sed sit sane Pontifex unus supra omnia Concilia, hoc est, sit pars aliqua major quam totum: plus possit, plus sapiat, quam omnes sui: et vel invito Hieronymo,[4] sit urbis unius autoritas major quam orbis terrarum. At quid si ille de his rebus nihil viderit; et nec sacras Scripturas, nec veteres Patres, nec Concilia sua unquam legerit? Quid si ille, ut olim Papa Liberius,[5] deficiat ad Arianos: aut, ut non ante ita multos annos, Joannes Papa, de futura vita, et animarum immortalitate impie et nefarie sentiat: aut, ut olim Papa Zosimus Concilium Nicænum, ita ille nunc potestatis suæ augendæ causa, alia concilia corrumpat, et quæ ne cogitata quidem unquam fuerint, ea a sanctis Patribus deliberata et constituta esse dicat: utque Camotensis ait Pontifices solitos esse sæpe facere, vim adhibeat Scripturis, ut habeat plenitudinem potestatis? Quid si abjiciat fidem Christianam, et efficiatur Apostata, quales, Lyranus ait multos fuisse Papas? Tamenne Spiritus Sanctus statim illi pulsabit pectus, atque etiam nolenti, et invito accendet lumen, ne possit errare? Aut ille erit fons omnis juris? et omnis thesaurus sapientiæ atque intelligentiæ in illo, tanquam in scrinio, invenietur? Aut, si ista in illo non sunt, potestne de rebus tantis recte et commode judicare? Aut, si judicare non

[4] Ad Evagrium.

[5] Vide Sozomen. Eccles. Hist. lib. iv. cap. 15.

potest, petit, ut ista ad se unum omnia referantur? Quid si advocati Pontificum, Abbates, et Episcopi, nihil dissimulent, sed aperte se gerant pro hostibus Evangelii, et quod vident, videre nolint, et vim faciant Scripturis, et videntes ac scientes depravent atque adulterent verbum Dei: et ea quæ perspicue ac proprie dicta sunt de Christo, nec possunt cuiquam mortalium alii convenire, impure atque impie ad Papam transferant? Quid si dicant,[6] Papam esse omnia, et super omnia: aut illum ea posse omnia, quæ Christus potest: et Papæ Christique unum esse tribunal, et unum Consistorium? Aut illum esse lucem illam, quæ venerit in mundum, (quod Christus de se uno pronuntiavit) eumque qui male agit, odisse ac fugere illam lucem: aut alios Episcopos omnes de ejus accipere plenitudine?[7] Postremo, quid si non dissimulanter, aut obscure, sed perspicue et aperte decernant contra expressum Verbum Dei? An quidquid illi dicunt, statim erit Evangelium? An iste erit exercitus Dei? An ibi Christus præsto erit? An in istorum linguis natabit Spiritus Sanctus? aut illi possunt vere dicere, Visum est Spiritui Sancto, et nobis? Petrus quidem a Soto, et

[6] Host. cap. Quanto. Abbas Panor. de Elect. cap. Venerabilis. Cornelius Episc. in Concilio Tridentino. Johan. viii. 12.
[7] Durandus.

ejus astipulator Hosius,[8] nihil dubitant affirmare, Concilium illud ipsum, in quo Christus Jesus adjudicatus est morti, habuisse Spiritum propheticum, Spiritum sanctum, Spiritum veritatis: nec falsum aut vanum fuisse, quod Episcopi illi dixerunt:[9] Nos habemus legem, et secundum legem nostram debet mori. Illos judicasse (sic enim scribit Hosius) judicii veritatem: omninoque justum fuisse illud decretum, quo ab illis pronuntiatum est, Christum dignum esse qui moreretur. Mirum vero est, non pósse istos pro se dicere, et propugnare causam suam, nisi una etiam Annæ, Caiaphæque patrocinentur. Nam qui illud ipsum Concilium, in quo Filius Dei ad crucem ignominiosissime condemnatus est, legitimum dicent fuisse ac probum; quod tandem illi Concilium decernent esse vitiosum? Tamen qualia sunt istorum Concilia fere omnia, necesse illis fuit, ut ista de Caiaphæ Annæque concilio pronuntiarent. Verum, an isti Ecclesiam nobis instaurabunt, iidem ipsi Judices iidemque Rei? An isti minuent ambitionem fastumque suum? An ipsi seipsos ejicient, an[1] contra se ferent sententiam, ne Episcopi sint indocti, ne ventres pigri, ne cumulent sacerdotia, ne gerant se pro Principibus, ne bella gerant? An dilecti Pontificum filioli Abbates decernent, monachum, qui

[8] Hosius contra Brentium, lib. ii.
[9] Johan. xix. 7.
[1] Alit. *aut*.

suo sibi labore victum non quærat, latronem esse? aut fas illi non esse, nec in civitatibus, nec in turba, nec ex alieno vivere? Oportere monachum humi cubare: olusculo et ciceribus tueri vitam: incumbere literis, disputare, orare, opus facere, ad Ecclesiæ ministerium se parare? Eadem opera Pharisæi et Scribæ instaurabunt templum Dei, et ex spelunca latronum restituent nobis domum orationis.

Fuerunt ex ipsis aliqui, qui errores in Ecclesia complures deprehenderint: Adrianus Papa, Æneas Sylvius, Polus Cardinalis, Pighius, aliique, uti jam diximus. Habuerunt postea Concilium Tridenti, eodem loco quo nunc indicitur. Convenerunt Episcopi complures, et Abbates, et alii quos oportuit. Erant soli: quidquid ageretur, nemo erat qui obstreperet. Nostros enim homines ab omni conventu prorsus excluserant.[2] Sederunt ibi magna expectatione sex annos. Primis sex mensibus, quasi id magnopere opus esset, multa de sacrosancta Triade, de Patre, de Filio, de Spiritu Sancto, pia quidem, sed non ita illo tempore necessaria, decreverunt. Interim tamen ex tot erroribus tam perspicuis, tam confessis, tam manifestis, quem unum errorem correxerunt? A quo genere idololatriæ populum revocarunt? Quam superstitionem sustulerunt? Quam partem tyrannidis et pompæ suæ minue-

[2] Alit. *excluserunt.*

runt? Quasi vero jam orbis terrarum non videat conspirationem istam esse, non Concilium: et istos Episcopos, quos nunc sibi Pontifex advocavit, prorsus juratos et addictos esse ejus nomini: nec unquam quidquam facturos, nisi quod illi placere, et ad ejus potentiam augendam facere, et illum velle, videant: aut non ibi numerari sententias potius quam appendi: aut non meliorem partem sæpe a majore superari. Itaque scimus multos sæpe bonos viros, et catholicos Episcopos, cum hujusmodi Concilia indicerentur, et aperte factionibus et partibus inserviretur, et scirent se tantum lusuros esse operam, adversariorum animos prorsus esse obfirmatos, nihil posse promoveri, mansisse domi. Athanasius,[3] cum vocatus esset ab Imperatore ad Concilium Cæsariense, et viderit se ad infesta adversariorum suorum odia venturum esse, adesse noluit. Idem postea cum venisset ad Concilium Syrmianum, et ex hostium suorum ferocia, atque odio, animo rei eventum præsagiret; statim sarcinas collegit, atque abiit. Joannes Chrysostomus,[4] quamvis quaternis literis ab Imperatore Arcadio vocatus esset ad Concilium Arianorum, tamen domi se continuit. Cum Hierosolymorum Episcopus Maximus sederet in Concilio ~~Palæstino~~, eum senex Paphnutius manu apprehensum eduxit

[3] Theodoret. Eccl. Hist. lib. i. cap. 28.
[4] Tripart. lib. x. cap. 13.

foras: Non est fas, inquiens, nobis consultare de his rebus cum hominibus impiis.

Ad Concilium Syrmianum, a quo se subduxit Athanasius, Occidentis Episcopi venire noluerunt. Cyrillus ab illorum, qui Patropassiani dicebantur, concilio, per literas appellavit.[5] Ad Mediolanense Concilium Episcopus Treverensis Paulinus, aliique complures, cum viderent conatus et potentiam Auxentii, venire recusarunt. Frustra enim videbant se ituros eo, ubi non ratio sed factio audiretur; et ubi causæ non judicio, sed studio disceptarentur.

Atque illi quantumvis habebant infestos et obstinatos adversarios; tamen si venissent, audiri saltem in Concilio libere potuissent.

Nunc autem cum nemo nostrum ne sedere quidem, aut omnino videri in istorum consessu, nedum libere audiri possit; cum Pontificum legati, Patriarchæ, Archiepiscopi, Episcopi, Abbates omnes conjurati, omnes eadem culpa constricti, omnes eodem sacramento obstricti, soli sedeant, et soli jus habeant ferendi suffragii: et postremo, quasi ipsi nihil egerint, omnia sua judicia Papæ unius voluntati, libidinique subjiciant: videlicet, ut ille, quem oportuit potius causam dicere, de seipso pronunciet: cum vetus illa, et Christiana libertas, quam æquum erat in Christianis Conciliis esse maximam, prorsus de

[5] Tripart. lib. v. cap. 15.

Concilio sublata sit: mirari hodie non debent homines prudentes ac pii, si nos id nunc facimus, quod olim in simili causa, a tot Patribus et catholicis Episcopis factum vident: ut quoniam audiri in Concilio non possumus, et Principum legati habentur ludibrio, et nos omnes, quasi res jam antea confecta, et constituta sit, ante judicium condemnamur, domum manere malimus, et rem omnem Deo committere, quam eo proficisci, ubi nec locum habituri simus, nec quidquam possimus promovere. Verum nostram injuriam patienter et sedate ferre possumus. Sed cur Reges Christianos, et pios Principes excludunt a consessu suo? Cur eos vel ita inciviliter a se, vel ita contumeliose dimittunt, ut quasi homines Christiani non sint, aut judicare non possint, nolint eos Religionis Christianæ causam cognoscere, et Ecclesiarum suarum statum intelligere: aut si autoritatem suam interponant, et faciant id quod possunt, quod jubentur, quod debent, quodque et Davidem, et Solomonem, et alios bonos Principes fecisse scimus, ut ipsis aut dormientibus, aut nefarie resistentibus, Sacerdotum libidinem coerceant, eosque et ad officium faciendum adigant, et in officio contineant: ut idola evertant: ut superstitiones minuant: ut Dei cultum instaurent: cur statim clamant, illos omnia turbare, in alienum officium irrumpere, et improbe atque immodeste facere? Quæ Scriptura Principem

Christianum ab hujusmodi causarum cognitione unquam repulit? Quis præter istos solos unquam ista jura decrevit?

At civiles, inquient, Principes Rempub. atque arma tractare didicerunt; Religionis Mysteria non intelligunt. Quid ergo Papa hodie aliud est, quam Monarcha aut Princeps? Quid Cardinales? Quos nunc vix alios esse fas est, quam Principum et Regum filios. Quid Patriarchæ, quid magna ex parte Archiepiscopi, quid Episcopi, quid Abbates in regno Pontificio aliud hodie sunt, quam civiles Principes, quam Duces, quam Comites, quocunque incedant, magnifice stipati: sæpe etiam torquati, et catenati?

Amictum quidem habent illi interdum aliquem, cruces, [columnas,] galeros, tiaras, pallia; quam pompam veteres Episcopi, Chrysostomus, Augustinus, Ambrosius, non habebant. Præter ista vero quid docent, quid dicunt, quid faciunt, quid vivunt, quod deceat non tantum Episcopum, sed etiam hominem Christianum? An tanti est titulum inanem gerere, et mutata solum veste, appellari Episcopum?

Certe illis solis, qui ista nec sciunt, nec scire omnino volunt, nec, nisi quod ad culinam et ventrem attinet, partem ullam Religionis teruncii faciunt, permitti rerum omnium summam, illos solos judices fieri, et tanquam cæcos in specula collocari: Principem vero Christianum,

recte sententem, stare truncum et stipitem, non suffragari, non sententiam dicere, tantum quid illi velint aut jubeant, observare, sine auribus, sine oculis, sine animo, sine pectore: quidquid ab istis imponatur, sine exceptione recipere, et cæco judicio imperata facere: quantumvis ea blasphema sint atque impia, etiamsi eos jubeant Religionem universam extinguere, et Christum ipsum in crucem tollere: et superbum, et contumeliosum, et iniquum est, et a Principibus Christianis, et prudentibus non ferendum. Quid enim? An Caiaphas et Annas ista videre possunt? David et Ezechias non possunt? Et an Cardinali, homini militari et sanguinem spiranti, in Concilio sedere licet? Imperatori, aut Regi Christiano non licet? Nam nos quidem, nihil nostris Magistratibus tribuimus aliud, quam quod illis et ex verbo Dei tributum scimus, et optimarum Rerumpub. exemplo comprobatum. Præterquam enim quod Principi fideli a Deo mandata est cura utriusque tabulæ, ut intelligat ad officium suum non civilem tantum rem, sed etiam Sacram et Ecclesiasticam pertinere: præterquam quod Deus sæpe Regem, ac diserte jubet lucos succidere, Idolorum statuas et aras evertere, librum Legis sibi describere; quodque illum Esaias ait,[6] Ecclesiæ patronum, et nutritium esse oportere:

[6] Esai. xlix. 23.

Præter, inquam, hæc omnia, ex historiis et optimorum temporum exemplis videmus pios Principes procurationem Ecclesiarum ab officio suo nunquam putasse alienam.

Moses,[7] civilis magistratus, ac ductor populi, omnem Religionis et Sacrorum rationem et accepit a Deo, et populo tradidit: et Aaronem Episcopum de aureo vitulo, et de violata Religione, vehementer et graviter castigavit. Josue,[8] etsi non aliud erat quam magistratus civilis, tamen cum primum inauguraretur, et præficeretur populo, accepit mandata nominatim de Religione, deque colendo Deo.

David Rex,[9] cum omnis jam Religio ab impio Rege Saule prorsus esset dissipata, reduxit arcam Dei, hoc est, Religionem restituit: nec tantum adfuit ut admonitor aut hortator operis, sed etiam Psalmos et Hymnos dedit, et classes disposuit, et pompam instituit, et quodammodo præfuit Sacerdotibus.

Solomon Rex[1] ædificavit templum Domino, quod ejus pater David animo tantum destinaverat: et postremo orationem egregiam habuit ad populum de Religione, et cultu Dei: et Abiatharum Episcopum[2] postea summovit, et in ejus locum Sadocum surrogavit. Cumque postea templum Dei fœdum in modum esset

[7] Exod. xii. [8] Jos. i. [9] 1 Par. xiii.
[1] 2 Par. vi. [2] 3 Reg. ii. 35.

sacerdotum vitio et negligentia contaminatum, Ezechias[3] illud Rex jussit a ruderibus et sordibus repurgari, accendi lumina, suffitus adoleri, et veteri ritu sacra fieri: æneum etiam Serpentem, qui tum a populo impie colebatur, tolli, et in pulverem redigi. Josaphat Rex,[4] excelsa et lucos, quibus impediri videbat cultum Dei, et populum a communi templo, quod erat Hierosolymis, ad quod ex omni parte regni quotannis eundum erat, privata superstitione retineri, evertit et sustulit. Josias[5] Rex diligenter admonuit Sacerdotes et Episcopos officii sui. Joas[6] Rex repressit luxum et insolentiam sacerdotum. Jehu[7] impios prophetas neci dedit. Et, ne plura ex sacris Scripturis exempla commemoremus, ac potius a Christo nato quemadmodum in Evangelio Ecclesia administrata sit, consideremus: Olim Imperatores Christiani indicebant Episcoporum Concilia: Constantinus, Nicænum: Theodosius primus, Constantinopolitanum: Theodosius secundus, Ephesinum: Marcianus, Chalcedonense: cumque Ruffinus allegasset Synodum, quasi quæ pro se faceret, ejus adversarius Hieronymus, ut eum refutaret, Doce, inquit, quis eam Imperator jusserit convocari? Idem in Epitaphio Paulæ citat literas

[3] 2 Par. xxix.
[4] 4 Reg. xviii. 2 Par. xvii.
[5] 4 Reg. xxiii.
[6] 4 Reg. xii.
[7] 4 Reg. x.

Imperatorum, qui Episcopos Latinos, Græcosque Romam accersiri jusserint.

Omnino per annos quingentos Imperator solus agebat conventus sacros, et Episcoporum Concilia celebrabat.

Quo magis nunc miramur importunitatem Episcopi Romani, qui, quod sciat, integris rebus, fuisse jus Imperatoris, nunc autem postquam Reges in partem Cæsareæ majestatis devenerunt, esse jus commune omnium Principum; id ita temere uni adscribat sibi, et satis esse putet, voluntatem suam de habendo Concilio, cum Principe orbis terrarum viro,[8] tanquam cum famulo suo communicare.

Quod si Imperatoris Ferdinandi modestia tanta est, fortasse, quod artes Pontificias non satis norit, ut hanc injuriam ferre possit: Pontifex tamen pro sua sanctitate, injuriam illi facere, et jus sibi alienum arrogare non debebat.

At convocabat quidem tum, inquiet aliquis, Imperator Concilia, quod Romanus Episcopus nondum ad istam magnitudinem pervenisset: tamen ne tum quidem aut una sedebat cum Episcopis in Concilio, aut omnino in deliberatione autoritatem suam ullam in partem interponebat. Immo vero, ut Theodoretus ait, Imperator Constantinus,[9] in Concilio Nicæno non

[8] Ut Pius IV. in Bulla sua ad Imper. Ferdinandum.

[9] Hist. Eccl. lib. i. c. 7. Vide Euseb. de Vita Const. l. iii. c. 10. 12, 13, Edit. Vales.

solum una sedebat, sed etiam Episcopos, quemadmodum causa ex Apostolicis Propheticisque literis cognoscenda esset, admonebat. In disputationibus, inquit, de rebus divinis, propositam nobis habemus, quam sequamur, doctrinam Spiritus Sancti. Evangelici enim et Apostolici libri, et Prophetarum oracula satis ostendunt, quid nobis de voluntate Dei sit sentiendum. Theodosius Imperator, ut ait Socrates,[1] non solum sedit inter Episcopos, sed etiam causæ disceptationi præfuit, et Hæreticorum scripta laceravit, et Catholicorum sententiam comprobavit.

In Chalcedonensi Concilio[2] magistratus civilis Dioscorum, Juvenalem, Thalassium, Episcopos, sua sententia pro Hæreticis condemnavit, eosque de illo gradu Ecclesiæ dejiciendos esse censuit.

In Constantinopolitano Concilio tertio, civilis Magistratus Constantinus non solum sedit inter Episcopos, sed etiam subscripsit cum Episcopis: Legimus, inquit, et subscripsimus. In Concilio Arausicano secundo, legati Principum, viri Patricii, non tantum sententiam de Religione dixerunt, sed etiam inter Episcopos subscripserunt. Sic enim in illo Concilio scribitur ad extremum; Petrus Marcellinus, Felix, Liberius, viri clarissimi, et illustres Præfecti Prætorii

[1] Socrates, lib. v. c. 10.
[2] Vide Evagr. Eccl. Hist. lib. ii. c. 4. Actione 1.

Galliarum, atque Patricii, consentientes subscripserunt. Syagrius, Opilio, Pantagathus, Deodatus, Cariatho,[3] Marcellus, viri clarissimi, subscripserunt.

Quod si Præfecti Prætorii et viri Patricii subscribere in Concilio potuerunt, Imperatores et Reges non potuerunt? Non sane opus erat, rem ita perspicuam tot verbis et tam prolixe prosequi, nisi nobis res cum illis esset, qui omnia clarissima, etiam ea quæ vident quæque oculis usurpant, tamen contentionis et vincendi studio negare solent. Imperator Justinianus legem tulit de corrigendis moribus, et de frænanda insolentia sacerdotum; et quamvis esset Christianus et Catholicus Imperator, tamen duos Papas successores Petri, Vicarios Christi, Sylverium et Vigilium, de Papatu dejecit.

Jam vero qui autoritatem sumunt in Episcopos: qui a Deo accipiunt mandata de Religione: qui reducunt arcam Dei, componunt sacros Psalmos, præsunt sacerdotibus, ædificant templa, habent conciones de cultu Dei: qui templa repurgant, demoliuntur excelsa, incendunt lucos: qui sacerdotes admonent officii, et illis scribunt leges vitæ: qui prophetas impios occidunt: qui Episcopos summovent: qui cogunt Concilia Episcoporum: qui cum Episcopis una sedent, eosque quid agendum sit, instituunt: qui Episcopum

[3] Alit. *Cariattho.*

hæreticum adjudicant supplicio: qui de Religione cognoscunt: qui subscribunt: qui pronunciant: atque hæc omnia, non alieno jussu, sed nomine suo, et recte, et pie faciunt: an ad eos dicemus Religionis curam non pertinere? Aut magistratum Christianum, qui hisce rebus sese admisceat, aut improbe, aut immodeste, aut impie facere? His rebus Imperatores et Reges, antiquissimi et Christianissimi, sese admiscuerunt: non tamen ea causa unquam notati sunt aut impietatis, aut immodestiæ. Et quis quærat, vel Principes magis Catholicos, vel exempla illustriora?

Quod si hoc illis licebat, cum essent civiles tantum magistratus, et præessent rebus publicis; quid hodie peccaverunt nostri Principes, quibus, cum eo loco sint, idem tamen non liceat? Aut quæ tanta vis doctrinæ, judicii, sanctitatis est in istis, ut præter consuetudinem omnium veterum et catholicorum Episcoporum, qui cum Principibus viris de Religione deliberarunt, nunc Principes Christianos a causæ cognitione, et a suo congressu rejiciant? Sed recte illi cavent sibi, regnoque suo, quod alioqui vident brevi esse ruiturum. Nam si illi, quos Deus in altissimo gradu collocavit, viderent, atque intelligerent istorum artes: contemni ab illis jussa Christi: obscurari et extingui lucem Evangelii: sibi fucum fieri: imprudentibus illudi, atque obstrui

aditum ad regnum Dei: nunquam illi se vel ita superbe despici, vel ita contumeliose haberi ludibrio, ita facile paterentur. Nunc autem illi eos inscitia et cæcitate obstrictos sibi habent atque obnoxios.

Nos quidem, uti diximus, de mutanda Religione, nihil temere aut insolenter, nihil nisi cunctanter, et magna cum deliberatione fecimus: Neque id unquam animum induxissemus facere, nisi nos et manifesta, atque indubitata voluntas Dei nobis in sacrosanctis Scripturis patefacta, et salutis nostræ ratio coegisset. Etsi enim discessimus ab illa Ecclesia, quam isti appellant Catholicam, et ea re nobis, apud illos qui judicare non possunt, invidiam facimus; tamen id satis est nobis, (satisque esse debet homini prudenti et pio, et de æterna vita cogitanti,) nos ab ea Ecclesia discessisse, quæ errare potuerit, quam Christus, qui errare non potest, tanto ante prædixerit erraturam, quamque nos ipsi oculis perspicue videbamus a sanctis Patribus, ab Apostolis, a Christo ipso, a primitiva et Catholica Ecclesia discessisse. Accessimus autem, quantum maxime potuimus, ad Ecclesiam Apostolorum, et veterum catholicorum Episcoporum, et Patrum, quam scimus adhuc fuisse integram, utque Tertullianus ait, incorruptam virginem, nulla dum idololatria, nec errore gravi ac publico contaminatam: nec tantum doctrinam nostram, sed

etiam Sacramenta, precumque publicarum formam ad illorum ritus et instituta direximus. Utque Christum ipsum, et omnes fere pios fecisse scimus, Religionem ab istis turpiter neglectam et depravatam, ad originem, et ad primordia revocavimus. Inde enim putavimus instaurationem petendam esse, unde prima Religionis initia ducta essent. Hæc enim ratio, inquit antiquissimus Pater Tertullianus, valet adversus omnes Hæreses: id esse verum, quodcunque primum: id esse adulterum, quodcunque posterius. Irenæus sæpe ad antiquissimas Ecclesias provocavit, quæ Christo fuissent viciniores, quasque credibile vix esset erravisse. Jam vero, cur ea hodie ratio non initur? Cur ad antiquarum Ecclesiarum similitudinem non redimus? Cur id a nobis hodie audiri non potest, quod olim in Concilio Nicæno, a tot Episcopis, et Catholicis Patribus, nullo refragante, pronuntiatum est, ἤθη ἀρχαῖα κρατείτω. Esdras cum reficere vellet ruinas Templi Dei, non misit Ephesum, quamvis ibi esset Dianæ templum pulcherrimum, et ornatissimum: cumque vellet sacra et cæremonias restituere, non misit Romam, quamvis fortasse audisset ibi esse Hecatombas, Solitaurilia, Lectisternia, Supplicationes, et libros Numæ Pompilii rituales. Satis ille sibi putavit fore, si exemplar veteris Templi, quod ab initio Solomon ad Dei præscriptum excitaverat, et veteres

illos ritus ac cæremonias, quas Deus ipse Mosi nominatim scripserat, haberet ante oculos, et sequeretur.

Aggæus Propheta, cum jam templum ab Esdra refectum esset, et populo causa oblata satis justa videri potuisset sibi de tanto Dei Optimi Maximi beneficio gratulandi: tamen excussit omnibus lacrymas, quod qui erant adhuc superstites, et priora Templi ædificia, antequam a Babyloniis diriperetur, viderant, meminissent multum adhuc ab ea pulchritudine abesse, quæ olim fuerat. Tum enim demum putassent Templum egregie instauratum, si ad pristinum exemplar, et veterem templi majestatem respondisset.

Divus Paulus ut Cœnam Domini, quam Corinthii jam tum cœperant corrumpere, repurgaret, proposuit illis institutionem Christi, quam sequerentur: Id, inquit,[4] ego vobis tradidi, quod acceperam a Domino. Et Christus, ut Pharisæorum errorem refelleret: Ad initia, inquit, redeundum est: ab initio non fuit sic.

Utque sacerdotum sordes, et avaritiam coargueret, et templum purgaret: Hæc, inquit, ab initio, domus orationis fuit, ut populus omnis pie ac caste precaretur: atque ita vos oportebat nunc quoque eam instituere. Non enim ea causa extructa fuit, ut esset spelunca latronum.

[4] 1 Cor. xi. 23.

Sic omnes in sacris Scripturis, pii et laudati Principes, eo maxime nomine laudati sunt, quod ambulassent in viis David patris sui; videlicet quod ad primordia et ad fontes rediissent, et Religionem in integrum restituissent.

Itaque nos cum videremus omnia ab istis prorsus esse pessundata, et in templo Dei, præter miseras ruinas, nihil esse reliqui; consultissimum esse duximus, ut illas nobis Ecclesias proponeremus, quas certo sciremus, et non errasse, et Missas privatas, et preces ignotas ac barbaras, et istam Sacrorum corruptionem, atque alias ineptias non habuisse.

Et cum templum Domini cuperemus in integrum restitutum, non aliud fundamentum quærere voluimus quam quod jam olim ab Apostolis sciremus esse jactum, quod est Servator noster Jesus Christus.

Cumque audiremus Deum ipsum nobis loquentem in verbo suo, et videremus exempla illustria veteris et primitivæ Ecclesiæ: incerta autem esset Concilii generalis expectatio, et eventus multo incertior: maxime vero, cum certi essemus de voluntate Dei, et nefas esse duceremus nimium solicitos esse, atque anxios de sententiis hominum: non potuimus amplius cum carne et sanguine deliberare: illud potius fecimus, quod et recte possit fieri, et a piis hominibus, et catholicis Episcopis sæpe multis factum esset: ut Provin-

ciali Synodo nostris Ecclesiis prospiceremus. Sic enim veteres Patres scimus solitos esse experiri, antequam ad publicum orbis terrarum Concilium veniretur. Extant hodie Canones scripti in Conciliis municipalibus, Carthagine sub Cypriano, Ancyræ, Neocæsariæ, Gangræ etiam in Paphlagonia, ut quidam putant, antequam Nicæni Concilii Œcumenici nomen auditum esset. Ad hunc modum olim sine Concilio generali statim domi privata disceptatione occursum est Pelagianis et Donatistis. Sic cum Imperator Constantinus aperte studeret Auxentio Arianarum partium Episcopo, Athanasius [5] Episcopus Christianus, non ad Concilium generale, (in quo, videlicet, propter Imperatoris potentiam, et studium partium videbat nihil posse fieri) sed ad clerum, populumque suum, hoc est, ad Provincialem Synodum provocavit. Sic decretum est in Concilio Nicæno, ut in singulos annos bis, in Carthaginensi, ut minimum semel, Episcoporum conventus in singulis provinciis haberenter: quod Chalcedonense Concilium ait, ea causa fuisse factum, ut si qui errores aut abusus uspiam emersissent, statim in ipso vestigio, ubi nati fuissent, extinguerentur. Ita, cum Secundus et Palladius Aquileiense Concilium, quod non esset generale ac publicum, repudiarent; Ambrosius Episcopus Mediolanensis respondit, non debere

[5] Alit. *Ambrosius.*

illud novum cuiquam videri, aut peregrinum, si Occidentis Episcopi convocent Synodos, et agant conventus Provinciales: id enim antea et ab Occidentalibus Episcopis non raro, et a Græcis sæpe factum esse. Ita Carolus Magnus Imperator Concilium habuit provinciale in Germania, contra Concilium Nicænum secundum, de tollendis imaginibus. Nec nobis quidem prorsus inaudita, aut nova est ea ratio. Nos enim habuimus aliquando in Anglia Synodos Provinciales, et domesticis legibus Ecclesias nostras ordinavimus. Quid multis? Certe Concilia illa plenissima et maxima, et quibus isti solent tantopere gloriari, si cum omnibus Ecclesiis, quæ per totum orbem terrarum agnoscunt et confitentur nomen Christi, conferantur; quid obsecro aliud videri possunt, quam privata quædam Episcoporum Concilia, et Synodi Provinciales? Nam etsi forte Italia, Gallia, Hispania, Anglia, Germania, Dania, Scotia conveniat:[6] absit autem Asia, Græcia, Armenia, Persia, Media, Mesopotamia, Ægyptus, Æthiopia, India, Mauritania, quibus in locis omnibus, et Christiani homines multi sunt, et Episcopi: quomodo potest cuiquam sano hujusmodi Concilium videri generale? Aut cum tot partes orbis absint, quomodo possunt vere dicere, se habere consensum orbis terrarum? Aut quale tandem erat illud Con-

[6] Alit. *conveniant.*

cilium proximum Tridentinum? Aut quomodo dici potuit generale, cum ad illud ex omnibus regnis et regionibus Christianis, quadraginta tantum Episcopi convenissent, et ex illis aliqui ita diserti, ut remittendi esse viderentur ad Grammaticos: ita vero docti, ut nunquam perlegerint sacras literas? Quicquid est, veritas Evangelii Jesu Christi non pendet a Conciliis; aut, ut Paulus ait,[7] ab humano die. Quod si illi, quibus Ecclesia Dei curæ esse oportuit, sapere nolint, et officio suo defuerint, atque animos suos contra Deum et ejus Christum obfirmaverint, et rectas vias Domini pervertere perrexerint: Deus lapides excitabit, et pueros infantes disertos faciet; ut semper existant aliqui, a quibus istorum mendacia refutentur. Potest enim Deus, non solum sine Conciliis, sed etiam invitis Conciliis, et tueri, et promovere regnum suum. Multæ, inquit Solomon,[8] sunt cogitationes in humano corde: sed Domini consilium manet firmum. Non enim est sapientia, non est prudentia, non est consilium contra Dominum. Humanis operibus, inquit Hilarius,[9] exstructa non durant: aliter ædificanda, aliter conservanda Ecclesia est. Ea enim posita est[1] in fundamentis Apostolorum et Prophetarum, et continetur uno angulari lapide, Christo Jesu. Multa vero clarissime et ad hæc

[7] 1 Cor. iv. 3.
[8] Prov. xix. 21.
[9] Hilarius in Psal. cxxvi.
[1] Ephes. ii. 20.

tempora appositissime D. Hieronymus: Quoscunque, inquit,[2] Diabolus deceperit, et quasi suavi et pernicioso carmine Sirenarum illexerit ad dormiendum, eos excitat sermo divinus, et dicit: Surge qui dormis, elevare, et illuminabit te Christus. In adventu ergo Christi, et sermonis Dei, et doctrinæ Ecclesiasticæ, et consummationis Ninivæ speciosissimæ meretricis, elevabitur et properabit populus, qui sub magistris antea fuerat sopitus; et ibit ad montes Scripturarum: ibi inveniet montes Mosen, et Jesum filium Nave: montes Prophetas: montes Novi Testamenti, Apostolos et Evangelistas. Et cum ad tales montes confugerit, et in hujusmodi montium fuerit lectione versatus: si non invenerit qui eum doceat, (messis enim erit multa, operarii pauci:) tamen et populi studium comprobabitur, quod confugerint ad hujusmodi montes, et magistrorum negligentia coarguetur. Hæc Hieronymus, ita perspicue, ut nihil opus sit interprete: ita ad ea, quæ nos jam oculis videmus evenisse, accommodate, ut nobis quidem videatur, universum statum temporum nostrorum, et ornatissimæ illius meretricis Babylonicæ ruinam, et Ecclesiæ Dei instaurationem, et cæcitatem atque ignaviam Episcoporum, et studium atque alacritatem po-

[2] In Prophetam Naum. cap. iii. ad finem cap. Eph. v. 14.

puli, quasi Spiritu prophetico prædicere, et ante oculos nostros constituere voluisse. Quis enim tam cæcus est, ut non videat istos illos magistros esse, a quibus populus, ut Hieronymus ait, in errorem inductus sit, et consopitus: aut Niniven istorum Romam pulcherrimis aliquando fucatam coloribus, nunc detracta persona, et melius videri, et minoris fieri: aut homines pios excitatos tanquam e gravi somno ad lucem Evangelii, et ad voces Dei, nihil expectatis hujusmodi magistrorum Conciliis, contulisse se ad montes Scripturarum?

At saltem (inquiet aliquis) injussu Romani Pontificis ista tentari non oportuit: illum enim unum esse nodum et vinculum societatis Christianæ: illum unum esse sacerdotem illum Levitici generis, quem Deus significaverit in Deuteronomio, a quo Concilium in rebus arduis et veritatis judicium petendum sit: Si quis illius judicio non obtemperet, illum in conspectu fratrum suorum oportere interfici: illum, quidquid agat, non posse a quoquam mortalium judicari: Christum in cœlis regnare, illum in terris: illum unum posse, quidquid Christus, aut Deus ipse potest: illius enim et Christi unum esse consistorium: sine illo nullam esse fidem, nullam spem, nullam Ecclesiam: qui ab illo discedat, eum abjicere et repudiare salutem suam. Hæc Canonistæ, parasiti Pontificum: non nimium modeste

illi quidem; vix enim plura, certe non ampliora, potuissent de Christo ipso dicere.

Nos quidem non voluptatis ullius humanæ, aut commodi causa a Pontifice discessimus. Atque utinam potius ille ita se gereret, ne opus esset discessione. Verum ita res erat: nos, nisi illo relicto, non potuimus ad Christum pervenire. Neque ille nunc aliud fœdus nobiscum ferire vult, quam quale olim Rex Ammonitarum Naas ferire voluit[2] cum Jabensibus, ut illis omnibus dextros oculos effoderet. Eripere enim vult nobis sacras Scripturas, Evangelium salutis nostræ, et omnem illam spem quam habemus in Christo Jesu. Aliis enim conditionibus pacem non posse convenire.

Nam quod quidam tantopere solent prædicare, Papam solum esse successorem Petri, quasi ea causa Spiritum Sanctum in sinu gerat, et errare non possit, leve ac nugatorium est. Animo pio, ac Deum timenti, promissa est Dei gratia; non cathedris et successionibus. Divitiæ, inquit, Hieronymus, potentiorem Episcopum facere possunt: omnes tamen Episcopi, quicunque sunt, sunt successores Apostolorum. Quod si locus et inauguratio sola satis est; et Manasses successit Davidi, et Caiaphas Aaroni, et idolum sæpe stetit in templo Dei. Archidamus olim Lacedæmonius, multa de se prædicabat, quod esset ex Hercule

[2] 1 Reg. xi. 2.

oriundus: ejus insolentiam ita refutabat Nicostratus: Atqui tu ex Hercule oriundus non videris: nam ille malos homines interfecit, tu ex bonis malos facis. Cumque Pharisæi jactarent successiones suas, et genus, et sanguinem Abrahami; Vos, inquit Christus,[4] quæritis me interficere, hominem qui veritatem vobis locutus sum, quam audivi a Deo: hoc Abraham nunquam fecit: Vos ex patre Diabolo estis, et ejus voluntati vultis obsequi.

Tamen ut aliquid successioni largiamur, an solus Papa successit Petro? Qua ergo in re: qua in Religione: in qua functione: in qua parte vitæ illi successit? Quid unquam aut Petrus Papæ simile habuit, aut Papa Petro? Nisi hoc forte velint dicere: Petrum, cum esset Romæ, nunquam docuisse Evangelium: nunquam pavisse gregem: abstulisse claves Regni cœlorum: abscondisse thesauros domini sui: tantum sedisse in Laterano, et omnia spatia Purgatorii, et suppliciorum genera digito descripsisse: animas miseras, alias in cruciatum relegasse: alias accepta mercede, repente pro arbitrio exemisse: Missas privatas, quæ in omnibus angulis dicerentur, tradidisse: sacra mysteria summissa voce, et aliena lingua mussitasse: Eucharistiam in omnibus templis et altaribus collocasse: eamque ante se, quocunque incederet, in asturcone gra-

[4] Johan. viii. 40, 41.

dario cum luminibus et tintinnabulis circumtulisse: oleum, ceram, lanam, campanas, calices, templa, altaria, sacro anhelitu consecrasse: jubilea, gratias, immunitates, expectationes, præventiones, annatas, pallia, usum palliorum, bullas, indulgentias, diplomata vendidisse: sese caput Ecclesiæ, et summum Pontificem, et Episcoporum Episcopum, et solum sanctissimum appellasse: in alienas Ecclesias jus et autoritatem sibi usurpasse: ab omni se civili potestate exemisse: bella gessisse: Principes inter se commisisse: in aurata sella, corona lemniscata, apparatu Persico, regali sceptro, aureo diademate, lucentibus gemmis in hominum nobilium cervicibus equitasse. Hæc scilicet Petrus olim Romæ fecit, eaque successoribus suis quasi per manus tradidit. Hæc enim a Papis hodie Romæ fiunt: atque ita fiunt, quasi aliud fieri nihil debeat. Aut, nisi hoc malint fortasse dicere, Papam ea nunc facere omnia, quæ olim scimus fecisse Petrum: discurrere in omnes terras: docere Evangelium, non tantum publice, sed etiam privatim, per singulas domos: instare opportune, importune, tempestive, intempestive: opus facere Evangelistæ: implere ministerium Christi: esse speculatorem domus Israel: accipere oracula, et voces Dei, easque ut acceperit, ita populo reddere: esse sal terræ: esse lucem mundi: non seipsum pascere, sed gregem. non implicare se civilibus negotiis hujus vitæ:

non exercere dominium in populum Domini: non id quærere, ut sibi ab aliis ministretur, sed ipsum potius aliis ministrare: omnes Episcopos putare socios esse suos, et pares: subjectum esse Principibus tanquam a Deo missis: reddere quod Cæsaris est, Cæsari: quodque veteres Episcopi Romani sine exceptione fecerunt, Imperatorem Dominum suum appellare. Hæc nisi nunc Papæ faciant, et nisi ea quæ diximus Petrus fecerit, nihil est quod de nomine Petri, et de ista successione tantopere glorientur. Quod autem de secessione nostra querantur, et nos ad societatem et fidem suam revocent, multo minus. Cobilonem, aiunt, quendam, Lacedæmonium, cum fœderis feriendi causa missus esset legatus ad Regem Persarum, et aulicos forte invenisset ludentes alea, statim re infecta, rediisse domum: rogatum cur neglexisset ea facere quæ publice acceperat in mandatis, respondisse, quod ignominiosum existimasset id fore Reipublicæ, si fœdus percussisset cum aleatoribus. At, si nos ad Pontificem, pontificiosque errores redire animum induceremus, et fœdus non tantum cum aleatoribus sed etiam cum hominibus longe nequioribus feriremus; esset id nobis non tantum ad famam ignominiosum, sed etiam ad inflammandam adversus nos iram Dei, et ad opprimendam extinguendamque conscientiam nostram perniciosum. Nam nos quidem discessimus ab

illo, quem videbamus multa jam secula cæcasse orbem terrarum; ab illo, qui nimium insolenter dicere solebat, se errare non posse, et quidquid ageret, non posse se a quoquam mortalium, non a Regibus, non ab Imperatoribus, non a toto Clero, non ab universo populo judicari; non, si mille animas secum abduceret ad inferos: ab illo, qui sibi imperium sumebat, non tantum in homines, sed etiam in Angelos Dei, ut irent, redirent, ducerent animas in Purgatorium, et easdem reducerent, cum ipse vellet: quem Gregorius clarissime dicebat esse præcursorem et antesignanum Antichristi, et a fide Catholica defecisse: a quo Coryphæi nostri illi, qui Evangelio, atque agnitæ veritati se opponunt, ad unum omnes jampridem ultro, et libenter discesserunt: et nunc etiam ab eodem non inviti discederent, nisi eos inconstantiæ nota, et pudor, et populi de se existimatio impediret. Postremo, ab illo discessimus, cui obstricti non eramus, quique præter Genium quendam loci, et successionem, quod pro se diceret nihil habuit. Et nos quidem ab illo longe omnium justissime discessimus. Nostri enim Reges, illi etiam qui autoritatem et fidem Episcoporum Romanensium observantissime sequebantur, satis jam olim senserunt jugum et tyrannidem regni Pontificii. Romani enim Episcopi et Henrico Regi nostro, ejus nominis secundo, diadema de capite detraxerunt, eumque

abjecta omni majestate, privato tantum habitu, ut esset suis omnibus ludibrio, ad legatum suum venire demissum et supplicem voluerunt. Et in Regem nostrum Joannem, Episcopos et Monachos, et nonnullam etiam partem nobilitatis armaverunt, et populum omnem jurejurando quo illi erant obstricti, liberarunt; eumque postremo nefarie per summum scelus, non tantum regno, sed etiam vita exuerunt; et Henricum ejus nominis octavum, nobilissimum Principem, diris et fulminibus defixerunt: et in illum, modo Cæsarem, modo Gallum commoverunt; quodque in ipsis erat, regnum nostrum prædæ ac direptioni exposuerunt: homines insani ac fatui, qui aut tantum Regem, larvis, et crepitaculis perterrefieri posse crederent, aut tantum Regnum tam facile uno quasi bolo devorari. Et quasi hæc omnia non essent satis, universam etiam provinciam vectigalem habere voluerunt: et ex ea quotannis census injustissimos exegerunt. Tanti, videlicet, nobis constitit amicitia urbis Romæ. Quod si illi nobis ista imposturis, et malis artibus extorserunt, nihil causæ est, cur non illis eadem legitimis rationibus, et bonis legibus possint eripi. At si ea illis Reges nostri in illa caligine superiorum temporum, inducti opinione aliqua simulatæ illorum sanctitatis, Religionis ergo, ultro, et liberaliter donaverunt; postea, animadverso errore, a posteris Regibus,

qui eadem potestate sunt, possunt auferri. Irrita enim est donatio, nisi donatoris voluntate comprobetur; voluntas autem videri non potest, quam error obfuscat atque impedit.

Habes, Christiane Lector, non esse novum, si hodie postliminio restituta, et quasi renascens Religio Christiana contumeliis et convitiis accipiatur: id enim et Christo ipsi, et Apostolis accidisse. Tamen ne tu te istis adversariorum nostrorum clamoribus abduci, et tibi imponi patiaris: exposuimus tibi universam rationem Religionis nostræ: quid de Deo Patre, quid de ejus unico Filio Jesu Christo, quid de Ecclesia, quid de Sacramentis, quid de Ministerio, quid de sacris Scripturis, quid de Cæremoniis, quid de omni parte persuasionis Christianæ sentiamus. Diximus nos omnes antiquas hæreses, quas aut sacrosanctæ Scripturæ, aut vetera Concilia condemnarunt, ut pestes et pernicies animorum detestari: nos disciplinam Ecclesiasticam, quam adversarii nostri prorsus enervarunt, quantum maxime possumus, revocare: et omnem vitæ licentiam, et dissolutionem morum, priscis et avitis legibus, et ea qua par est, quaque possumus severitate vindicare: nos regnorum statum, eo, quo accepimus, loco, sine imminutione ulla, aut mutatione retinere: et Principibus nostris Majestatem, quantum maxime possumus, incolumem conservare: nos ab

illa Ecclesia, quam isti speluncam latronum fecerant, et in qua nihil integrum, aut Ecclesiæ simile reliquerant, quamque ipsi fatebantur multis in rebus erravisse, ut Lothum olim e Sodoma, aut Abrahamum e Chaldæa, non contentionis studio, sed Dei ipsius admonitu discessisse: et ex sacris libris, quos scimus non posse fallere, certam quandam Religionis formam quæsivisse, et ad veterum Patrum, atque Apostolorum primitivam Ecclesiam, hoc est, ad primordia atque initia, tanquam ad fontes rediisse. Auctoritatem autem in ea re, aut consensum Concilii Tridentini (in quo videremus nihil recte, atque ordine geri, ubi ab omnibus in unius nomen juraretur, ubi legati Principum nostrorum contemnerentur, ubi nemo nostrorum Theologorum audiretur, ubi aperte partibus atque ambitioni studeretur) non expectasse: sed quod olim sancti Patres, quodque majores nostri sæpe fecerunt, provinciali conventu nostras Ecclesias restituisse: Episcopi vero Romani (cui obstricti non eramus, quique nihil habebant nec Christi, nec Petri, nec Apostoli, nec omnino Episcopi simile) jugum et tyrannidem, pro eo, ac debuimus, excussisse. Postremo, nos inter nos, de omnibus dogmatis et capitibus Religionis Christianæ convenire, et uno ore, unoque spiritu colere Deum, et Patrem Domini nostri Jesu Christi.

Quare, Christiane ac pie Lector, cum videas rationes et causas, et restitutæ apud nos Religionis, et secessionis ab istis nostræ: mirari non debes, si Christo nostro obtemperare maluimus, quam hominibus. Paulus nos admonuit, ne variis istis doctrinis nos abduci pateremur: utque illos imprimis fugeremus, qui sererent dissensiones præter illam doctrinam quam a Christo et Apostolis accepissent. Jamdudum, ut noctua ad orientem Solem, ita istorum imposturæ dilabuntur, et fugiunt ad aspectum, et lucem Evangelii: et quamvis ad cœlum usque exstructæ atque exaggeratæ sint; tamen levi momento, et quodammodo sua sponte corruunt. Non enim putare debes ista omnia temere, aut casu accidisse. Dei hæc voluntas fuit, ut invitis prope omnibus, Evangelium Jesu Christi in orbem terrarum his temporibus spargeretur. Itaque divinis vocibus admoniti homines sese ultro ad Christi doctrinam contulerunt.

Nos quidem non gloriam ex ea re quæsivimus, non opes, non voluptates, non otium. Hæc enim isti habent abunde omnia: et nos ea, cum apud illos essemus, multo largius et prolixius habebamus. Neque nos consensionem et pacem fugimus: sed pacis humanæ causa, cum Deo belligerari nolumus. Dulce quidem, inquit Hilarius, est nomen pacis: sed aliud est, inquit, pax; aliud servitus. Nam ut (quod isti quæ-

runt) Christus tacere jubeatur: ut prodatur veritas Evangelii: ut errores nefarii dissimulentur: ut Christianorum hominum oculis imponatur: ut in Deum aperte conspiretur, non ea pax est, sed iniquissima pactio servitutis. Est quædam, inquit Nazianzenus, pax inutilis: est quoddam utile dissidium. Nam paci cum exceptione studendum est, quantum fas sit, quantumque liceat: alioqui Christus ipse, non pacem in mundum attulit, sed gladium. Quare si nos Papa secum in gratiam redire velit: ipse prius in gratiam redire debet cum Deo. Hinc enim, inquit Cyprianus, schismata oriuntur, quia caput non quæritur, et ad fontem sacrarum Scripturarum non reditur: et cœlestis magistri præcepta non servantur. Non enim, inquit, pax ea est, sed bellum: nec Ecclesiæ jungitur, qui ab Evangelio separatur. Isti vero cauponari tantum solent nomen pacis. Pax enim illa quam tantopere quærunt, otiosorum tantum est ventrum tranquillitas. Nam hæc omnia inter nos facile componi possent, nisi ambitio, venter, luxus impedirent: hinc illæ lacrymæ; animus est in patinis. Id scilicet clamant, atque obstrepunt, ut male parta fœdius et nequius tueantur. Queruntur hodie de nobis Indulgentiarii, Datarii, Quæstores, Lenones, aliique qui quæstum putant esse pietatem, nec Jesu Christo serviunt, sed suo ventri. Olim enim isti generi hominum fuit

quæstus uberrimus apud sæculum prius. Nunc autem quicquid Christo accedit, id omne sibi detractum putant. Id hodie Pontifex ipse queritur; refrixisse, videlicet, pietatem, reditus suos angustiores jam esse, quam solebant. Itaque nos in odium rapit, quantum potest, et onerat contumeliis, et condemnat pro Hæreticis: ut qui causam non intelligunt, putent, nullos esse homines nequiores. Nos tamen interim ea causa nec pudet, nec certe pudere debet, Evangelii: Dei enim gloriam pluris facimus, quam existimationem hominum. Scimus ista vera esse omnia, quæ docemus: nec possumus aut vim facere conscientiæ nostræ, aut testimonium dicere contra Deum. Nam si nos negamus[5] partem aliquam Evangelii Jesu Christi coram hominibus, ille nos vicissim negabit coram Patre suo. Quod siqui sunt, qui offendi velint, et Christi doctrinam non ferant; cæci sunt, et duces cæcorum: veritas tamen prædicanda, et præ nobis ferenda est, et patienter expectandum est tribunal Dei.

Interim isti videant quid agant, et de salute sua cogitent, et desinant odisse ac[6] persequi Evangelium Filii Dei, ne illum aliquando sentiant vindicem, et ultorem causæ suæ. Deus se haberi ludibrio non sinet. Jamdudum homines vident, quid agatur. Ista flamma, quanto magis reprimitur, tanto magis magisque erumpit, atque

[5] Matt. x. 33. [6] Alit. *atque*.

evolat. Infidelitas istorum non frustrabitur fidem Dei. Quod si duritiam istam animorum ponere, et Christi Evangelium recipere recusabunt; publicani, et peccatores antevertent illis in regno Dei.

Deus, et Pater Domini nostri Jesu Christi illis omnibus oculos aperiat, ut videre possint beatam illam spem, ad quam vocati sunt: ut una omnes glorificemus unum illum et verum Deum, eumque quem de cœlo ad nos demisit, Jesum Christum: cui una cum Patre, et Sancto Spiritu, reddatur omnis honor, et gloria in omnem æternitatem. Amen.

EPISTOLA

DE CONCILIO TRIDENTINO.

EPISTOLA

REV. P. JOANNIS JUELLI,

EPISCOPI SARISBURIENSIS, AD VIRUM NOBILEM,

D. SCIPIONEM,

PATRICIUM VENETUM.

Scribis ad me familiariter pro ea consuetudine, quæ inter nos summa semper fuit (ex eo usque tempore, quo una viximus Pataviæ, tu in Reipublicæ tuæ tractatione occupatus, ego in studiis literarum) mirari te, tecumque alios istic multos, cum hoc tempore Concilium generale componendæ religionis, et contentionis tollendæ causa Tridenti a Pontifice indictum sit, et eo jam reliquæ omnes nationes undique convenerunt, solum Angliæ regnum, nec Legatum eo aliquem misisse, nec absentiam suam per nuntios, aut literas excusasse: sed sine consilio omnem prope rationem veteris, et avitæ religionis immutasse: quorum alterum superbæ contumaciæ videri ais, alterum perniciosi schismatis. Nefas enim esse,

si quis sanctissimam autoritatem defugiat Romani Pontificis aut vocatus ab illo ad Concilium se subducat. Controversias autem de religione non alibi, quam in hujusmodi conventibus fas esse disceptari. Ibi enim esse Patriarchas et Episcopos; ibi esse ex omni genere hominum viros doctissimos; ab illorum ore petendam esse veritatem; ibi esse lumina Ecclesiarum; ibi esse Spiritum Sanctum; pios Principes semper omnes, si quid incidisset ambigui in cultu Dei, illud semper ad publicam consultationem retulisse. Mosen, Josuam, Davidem, Ezechiam, Josiam, aliosque judices, reges, sacerdotes, de rebus divinis non alibi, quam in Episcoporum Concilio deliberasse; Apostolos Christi, piosque Patres inter se Concilia celebrasse: sic veritatem emicuisse; sic expugnatas esse hæreses; sic Arium, sic Eunomium, sic Eutychetem, sic Macedonium, sic Pelagium succubuisse; sic hodie dissidia orbis terrarum componi, et ruinas Ecclesiæ farciri posse, si positis contentionibus et studiis veniatur ad Concilium: sine Concilio autem quicquam in religione tentari nefas esse.

Atque hæc quidem fere literarum tuarum summa fuit. Ego vero non id mihi nunc sumo, ut tibi pro regno Angliæ, quo quidque consilio factum sit, quicquam respondeam. Neque te id a me requirere, aut velle arbitror. Regum consilia recondita et arcana sunt, et esse debent.

Nosti illud, nec passim, nec omnibus, nec quibuslibet. Tamen pro nostra inter nos veteri et privata consuetudine (quoniam te id video ita prolixe petere) quid mihi videatur, breviter et amice respondebo: sed ita, ut ait ille, quantum sciam poteroque, idque tibi non dubito fore satis.

Miramur, inquis, Legatos ex Anglia ad Concilium non venire. Obsecro te, an Angli soli ad Concilium non veniunt? an ergo tu Concilio interfuisti? an censum egisti? an capita singula enumerasti? an videbas alias nationes undique omnes convenisse, præter Anglos? Quod si tibi mirari tam cordi est, cur non miraris hoc quoque: aut tres illos memorabiles Patriarchas, Constantinopolitanum, Antiochenum, Alexandrinum, aut presbyterum Joannem aut Græcos, Armenios, Medos, Persas, Egyptios, Mauritanos, Æthiopas, Indos, ad Concilium non venire? An enim multi ex estis omnibus non credunt in Christum? non habent Episcopos? non baptizantur in nomine Christi? non sunt, appellanturque Christiani? An vero ab istis singulis nationibus venerunt Legati ad Concilium? An tu hoc potius dices, Papam illos non vocasse, aut illos Ecclesiasticis vestris sanctionibus non teneri?

Sed nos hoc miramur magis, Papam eos, quos inauditos, indicta causa, pro hæreticis jam antea condemnavit, et publice excommunicatos pronunciavit, eosdem postea vocare voluisse ad Con-

cilium. Homines enim primum damnari atque affici supplicio, deinde eosdem vocari in judicium, absurdum est, et ὕστερον πρότερον. Verum hoc mihi velim responderi, utrum id agat pontifex, ut nobiscum, quos habet pro hæreticis, in Concilio de Religione deliberet; an potius, ut nos ex inferiori loco causam dicamus, et vel statim mutemus sententiam, vel iterum e vestigio condemnemur? alterum novum est, et prorsus nostrarum partium hominibus jampridem a Julio Papa tertio denegatum: alterum ridiculum est, si id putat, Anglos venturos esse ad Concilium, tantum ut accusentur, et causam dicant, apud illum præsertim, qui jamdudum non tantum a nostris, sed etiam a suis gravissimis criminibus accusetur.

Quod si Anglia sola tibi adeo videtur esse contumax, ubi ergo sunt legati Regis Daniæ, Principum Germaniæ, Regis Suetiæ, Helvetiorum, Rhetiorum, liberarum Civitatum, Regni Scotiæ, Ducatus Prussiæ? Cum in Concilio vestro tot desiderentur nationes Christianæ, ineptum est Anglos solos numerare. Sed quid ego istos dico? Pontifex ipse ad Concilium suum non venit, et cur tu hoc etiam non miraris? Quæ enim est ista superbia, unum hominem animi causa, cum libet, convocare omnes Reges, Principes, Episcopos Christianos, eosque velle dicto esse audientes, ipsum solum in illorum con-

spectum non venire? Certe quum Apostoli agerent conventus Hierosolymis, Petrus Apostolus, de cujus iste sede et successione gloriantur, abesse noluit. Verum, opinor, meminit Pius Papa quartus, is qui nunc Pontificatum obtinet, quid Joanni xxii. olim acciderit: illum non satis auspicato venisse ad Concilium Constantiense: venisse enim Papam, et rediisse Cardinalem. Itaque ex eo tempore Pontifices caverunt sibi post principia, et se continuerunt domi, et omnibus Conciliis, ac liberis disceptationibus obstiterunt. Nam ante annos quadraginta cum Doctor Martinus Lutherus omnibus diris et fulminibus a pontifice peteretur, quod docere cepisset Evangelium, et ex verbo Dei religionem instauraret, et summisse petiisset, ut causa sua integra rejiceretur ad cognitionem Concilii generalis, audiri non potuit ullo modo. Leo enim decimus Papa satis videbat, si res ad Concilium rediisset, suam etiam rem venire posse in periculum, et seipsum fortasse audire ea posse, quæ nollet.

Pulchrum quidem est nomen Concilii generalis, modo ita, ut oportet, conveniatur; et positis affectionibus omnia referantur ad præscriptum verbi Dei, et uni veritati serviatur. At si aperte religio, et pietas opprimatur, si tyrannis, et ambitio confirmetur, si factionibus, ventri, libidini studeatur, nihil potest cogitari Ecclesiæ Dei perniciosius. Atque hæc quidem hactenus ita dico,

quasi Concilium istud, quod tu dicis usquam, aut ullum sit: quod ego prorsus nullum esse arbitror. Aut si uspiam, aut ullum est certe obscurum et valde arcanum est. Nos enim quamvis non ita procul absumus, tamen quid agetur, qui Episcopi convenerint, vel potius an ulli omnino convenerint, scire adhuc nullo modo possumus. Immo etiam ante viginti menses, cum Concilium istud a Pontifice Pio primum indiceretur, Ferdinandus Imperator respondit: quamvis alia omnia convenirent, locum tamen, quem Papa delegerat sibi magnopere displicere. Tridentum enim et si bella sit Civitas, tamen nec satis opportunam esse tot gentibus, nec tantam frequentiam hominum, quantum ad generale Concilium convenire par sit, posse capere. Eadem fere ab aliis Principibus Christianis, a quibusdam etiam non paulo asperiora respondebantur. Itaque nos ista omnia una cum Concilio in fumos abiisse credebamus.

Sed obsecro te, quis ille tandem est, qui istud Concilium indixit, et orbem terrarum convocavit? Pius, inquies, Papa quartus. Et cur ille potius quam Episcopus Toletanus? qua enim potestate, quo exemplo primitivæ Ecclesiæ, quo jure hæc facit? An ita Petrus, Linus, Cletus, Clemens, edictis suis orbem terrarum commoverunt? Fuit hoc semper, salvis rebus, jus Imperatorum Romanorum proprium. Nunc autem postquam

imminutæ sunt vires Imperii, et regna in partem Cæsareæ potestatis successerunt, ea potestas communicata est cum Principibus et Regibus Christianis. Scrutare annales, collige memorias vetustatis. Invenies antiquissima Concilia, Nicenum, Ephesinum, Chalcedonense, Constantinopolitanum ab Imperatoribus Romanis, Constantino, Theodosio primo, Theodosio secundo, Martiano indicta fuisse, non a Romanis Pontificibus.

Leo Pontifex, satis alioqui sui amans, et nulla in re negligens autoritatem sedis suæ Mauritium Imperatorem suppliciter oravit, ut Concilium indiceret intra Italiam: quod ille tum locus ei negotio convenire maxime videretur; Supplicant, inquit, omnes sacerdotes mansuetudini vestræ, ut generalem Synodum jubeatis intra Italiam celebrari. At Imperator Concilium illud non intra Italiam, quod Pontifex maxime contendebat, sed Chalcedonem in Bethyniam jussit convocari: ut ostenderet jus illud suum esse, et ad se unum pertinere. Et cum Ruffinus in illa concertatione, quam habuit cum Hieronymo, allegasset Synodum; Doce, inquit Hieronymus, quis Imperator eam jusserit convocari. Non putabat D. Hieronymus satis firmam esse autoritatem Concilii generalis, nisi illud Imperator coegisset. Ego vero non id quæro, quis Imperator Episcopos hoc tempore jusserit Tridentum evocari: sed Papa, qui tantum sibi sumpsit, quo cum Imperatore de

habendo Concilio deliberaverit, quem Regem aut Principem Christianum conscium fecerit voluntatis suæ. In jus alterius per fraudem aut vim irrumpere, quodque alienum sit, id sibi tanquam suum usurpare, injurium est. Abuti autem clementia Principum, illisque tanquam servis suis imperare, insignis est, et non ferenda contumelia. Nos autem obsequio nostro velle tantam injuriam, et contumeliam confirmare, non minus magna esset injuria. Quare si hoc tantum diceremus, Concilium istud vestrum Tridentinum non esse legitime convocatum, nihil a Papa Pio rite atque ordine esse factum, nemo posset absentiam nostram satis juste reprehendere.

Mitto quibus nos injuriis a Romanis Pontificibus affecti simus. Illos quoties libuit, popúlum nostrum in Principem armavisse: illos Regibus nostris sceptra de manibus, et diadema de capite detraxisse: illos regnum Angliæ suum esse, et suo nomine possideri, et Reges nostros suo beneficio regnare voluisse: illos proximis istis annis modo Gallum in nos, modo Cæsarem commovisse. Quid autem Pius iste de nobis consilii ceperit, quid egerit, quid dixerit, quid molitus, quid minatus sit, nihil opus est commemorare. Facta enim ejus, dictaque non ita tecta sunt, et recondita, quin intelligi utcunque possit, quid velit. Quibus autem ille rationibus Pontifex factus fuerit, quibusque quasi gradibus ad illam tantam

dignitatem ascenderit, nihil dico. Non dico illum corruptis Cardinalibus, emptis suffragiis, mercede ac pretio per cuniculos et insidias ad Pontificatum aspirasse. Non dico illum nuper admodum, cum solvendo non esset, Cardinalem Caraffam, cujus ope reliquorum Cardinalium suffragia collegerat cuique eo nomine debebat magnam vim auri, vinctum in carcere interfecisse. Ista aliaque complura vobis relinquo potius, qui ea et proprius videtis, et melius intelligitis. An ergo tu nos ad hominem sanguinarium, ad mercatorem suffragiorum, ad æris alieni negatorem, ad Simoniacum, ad hæreticum miraris non venire? Non est prudentis (mihi crede) velle se conjicere in sedem pestilentiæ, et cum hostibus religionis velle de religione consilium capere. Ad infames (inquit quidam) vetuit me mater accedere. Joannes Apostolus non est ausus in eodem balneo sedere, et una lavare cum Olympio, ne una cum illo fulmine de cœlo feriretur. Non sedi, inquit David, in consilio vanitatis, et cum iniqua agentibus non introibo.

Sed esto: sit hoc jus Papæ proprium: possit convocare concilia: possit terrarum orbi imperare: sint ea falsa et vana quæ diximus de potestate Cæsaris et jure Regio: sit Pius Papa vir bonus, sit recte, sit legitime factus Pontifex: nullius vitam petiverit; Caraffam in carcere non occiderit: tamen Concilia æquum est esse libera,

ut adsit, qui velit, cui adesse non sit commodum, abesse liceat. Ea olim melioribus æquitas et moderatio servabatur. Non ita tum serviliter cogebantur Principes, ut si quis forte mansisset domi, aut Legatos ad Concilium non misisset, statim omnium digitis atque oculis notaretur. In Concilio Niceno, in Ephesino, in Constantinopolitano, in Chalcedonensi, quæso te, quis explorator observavit, qui abessent? Atqui nullus tum adfuit Legatus, nec ex Anglia, nec e Scotia, nec e Polonia, nec ex Hispania, nec e Pannoniis, nec e Dania, nec ex tota Germania. Vide, lege, recognosce subscriptiones: invenies ita rem habere, ut dico. Et cur non miraris Anglos, tum ad illa Concilia ita plena, ita præclara, ita celebria, ita frequentia, non venisse? Aut Episcopos Romanos ita tum fuisse patientes, ut illos non condemnarent contumaciæ? Verum nondum creverat ista tyrannis Pontificia: fas tum erat sanctis Episcopis et patribus pro suo commodo sine fraude manere domi. Paulus Apostolus noluit sese dare in Concilium Hierosolymitanum, sed potius appellavit ad Cæsarem. Athanasius Episcopus, quamvis vocaretur ab Imperatore ad Concilium Cæsariense, tamen venire noluit. Idem in Concilio Syrmiano, cum rem videret inclinare ad Arrianos, statim subduxit se, atque abiit: ejusque exemplum sequuti Episcopi occidentis ad illud Concilium venire recusarunt.

Johannes Chrysostomus ad Concilium Arrianorum non accessit, quamvis ab Imperatore Constantio et literis et nuntiis vocaretur. Cum Arrianorum Episcopi in Palestina convenissent, et maximam partem suffragiorum secum traherent, Paphnutius senex et maximus Hierosolymorum Episcopus una e medio conventu discesserunt. Cyrillus Episcopus a Patropassianorum Concilio appellavit. Paulinus Episcopus Trevirensis venire noluit ad Concilium Mediolanense, quod videret propter gratiam et potentiam Imperatoris Constantii, omnia ruere ad Auxentium Arrianum. Episcopi qui ad Concilium Constantinopolitanum convenerant, ad Concilium Romanum, quo vocabantur, venire noluerunt. Quod tamen illis fraudi non fuit, quamvis Imperatoris literis vocarentur. Satis ea tum justa excusatio esse videbatur, quod Ecclesiarum suarum curæ, atque instaurationi studendum esset. Quamvis viderent Arrianos per omnes jam Ecclesias grassari, et ad minuendam illorum rabiem magnum pondus habituram esse præsentiam suam.

Quid si idem illud Episcopi nunc nostri responderent, non esse otium a sacro Ministerio, sese prorsus occupatos esse in restituendis Ecclesiis suis: non posse abesse domo quinque, sex, septem annos, ibi præsertim, ubi nihil possint promovere? non enim ita otiosi sunt Episcopi

nostri, ut sunt qui Romæ deliciantur in palatiis, et sectantur Cardinales, et venantur sacerdotia. Ita enim misere perditæ sunt ab istis, atque eversæ Ecclesiæ nostræ, ut nec parvo tempore, nec mediocri diligentia possint instaurari. Nunc autem aperte videmus obsideri ab istis nostra tempora, ut cum minime necesse sit, foras distrahamur, et nec domi propagare possimus Evangelium, et in Concilio ab ipsis impediamur.

Simulat enim Papa, ne nescias: non cogitat Concilium: neque enim tu illum quicquam putes sincere, et vere agere. Qui nescit simulare (dicere solebat olim Rex Ludovicus undecimus Carolo octavo) nescit regnare: multo vero magis, qui nescit dissimulare, et consilia sua vultu tegere, ut nunc quidem est, nescit agere Pontificem. Illa enim sedes tota meræ nititur Hypocrisi: quæ quo minus habet nativi roboris, eo pluribus coloribus opus habet. Nam si putabant Pontifices, tantam esse vim Concilii generalis ad tollenda Schismata, cur illi rem tam necessariam tam diu distulerunt? cur triginta totos annos quieverunt, et Lutheri doctrinam radices agere pertulerunt? Cur Concilium non primo quoque tempore indixerunt? Cur Synodum Tridentinam reluctantes et inviti, magisque Imperatoris Caroli impulsu, quam sua voluntate convocarunt? Cumque Tridenti decem prope annos versarentur, cur tanta deliberatione nihil egerunt? cur rem in-

fectam reliquerunt? Quis impediebat? quis obstabat? Crede hoc mihi, mi frater, non agunt id nunc Pontifices, ut Concilium celebretur, aut Religio Dei restituatur, quam illi prorsus habent pro ludibrio. Id agunt, id quærunt, id pugnant, ut magnifica expectatione Concilii generalis hominum piorum animos, atque orbem terrarum ludificentur.

Vident jamdudum imminui, et ruere opes suas: artes suas non esse nunc eodem loco, quo fuerunt olim: incredibilem numerum hominum in dies singulos a se dilabi: non esse nunc, qui tanta frequentia currant Romam: non esse, qui indulgentias, interdictiones, benedictiones, absolutiones, et inanes bullas, aut tanti faciant, aut tanti emant. Ceremoniarum suarum, et missarum nundinas, et omnem illum fucum meretricium, non magni fieri; magnam partem tyrannidis, et pompæ suæ concidisse: reditus suos angustiores nunc esse, quam solebant; sese, suosque rideri passim a pueris: omnino in discrimen venisse summam rerum. Nec mirum, si ea corruant, quæ nullis radicibus sustinebantur. Extinxit illa omnia salvator noster Jesus Christus, non armis, aut vi militum, sed cœlesti impulsu, et spiritu oris sui: consumet autem, atque abolebit claritate adventus sui: Hæc est vis verbi Dei, hæc est potestas Evangelii; hæc sunt arma, quibus evertitur omnis munitio, quæ ædificata

M 2

est adversus cognitionem Dei. Prædicabitur hæc doctrina, invitis omnibus, per universum orbem. Portæ inferorum non prævalebunt adversus eam. Frigent nunc Romæ tabernæ meritoriæ: illorum merces (quasi bona Porsennæ venirent) vilissimo pretio proscribuntur. Et vix quisquam est, qui velit emere. Circuit mercator Indülgentiarius, et fatuos non invenit. Hoc illud est, hinc illæ lachrymæ, hæc res Pontifices male habet. Vident hanc tantam lucem ex una scintilla erupisse. Quid nunc futurum, postquam tot ignes ubique terrarum accensi sunt, et tot reges et principes Christiani agnoscunt, et profitentur Evangelium? Non enim illi Jesu Christo serviunt, sed suo ventri. Aiunt Carneadem Philosophum, cum olim esset Romæ, et memorabilem illam haberet orationem contra justitiam, inter alia hoc etiam addidisse: Eam virtutem, si quidem ea virtus esset, nulli hominum generi minus ex usu fore, quam Romanis. Illos enim per vim, et latrocinium regna sibi aliena subegisse, perque summam injustitiam ad imperium orbis terrarum pervenisse. Quod si nunc tandem velint justitiam colere, restituenda esse illa omnia quæ injuste teneant: ad casas pastoritias, et frigida tuguria, quæ sola habuerant ab initio, esse redéundum. Ita prorsus isti, si vere velint agere, et simulationem ponere, et officium facere, et suum cuique reddere, vident

sibi redeundum esse ad virgam et peram, ad sobrietatem, et modestiam, ad labores, ad munus Episcopi. Audiverunt enim Augustinum dicere, Episcopum nomen esse operis, non honoris: et illos non esse Episcopos, qui velint præesse, et non prodesse. Itaque istud Evangelium latius diffundi, et ad plures propagari, vident, nulli hominum generi minus expedire, quam sibi: se enim salvos esse non posse, si sani esse velint. Ergo nunc tumultuantur, et turbant omnia, ut olim Demetrius faber, postquam vidit sibi periisse spem lucri. Ergo nunc Concilia indicuntur, et Abbates atque Episcopi ad partes advocantur. Hæc enim illis ratio visa est callidissima, ut tempus in aliquot annos protraheretur, ut hominum animi expectatione suspenderentur: multa, ut fit, posse intervenire: bellum posse excitari: aliquem ex istis principibus posse mori: istos tantos impetus ad Evangelium diuturnitate posse obtundi: languere posse hominum voluntates. Interea, inquit quidam, fiet aliquid spero.

Olim cum (victis ac triumphatis Persis) Athenienses mœnia sua, quæ illi solo æquaverant, cœpissent instaurare, et Lacedæmonii, quo magis haberent eos in potestate, ne id facerent, magnopere edixissent. Themistocles dux Atheniensis, vir prudens, cum videret salutem patriæ suæ venire posse in periculum, pollicitus est sese venturum Lacedæmona, et de ea re velle cum

ipsis una deliberare. Ille ubi se dedisset in viam, quo tempus eximeret, primum morbum simulavit, ut diutius hæreret in itinere: Deinde cum venisset Lacedæmona, multa de industria frustrari cœpit, modo pacta non placere: modo deliberationem petere: modo socios legationis, sine quibus nihil agi posset, expectare: modo legatos Athenas mittere. Interea, dum ille cunctatur, Athenienses clauserant mœnibus civitatem, et si vis fieret, sese paraverant ad defendendum. Ita isti, dum diem de die proferunt, et rem omnem referri volunt ad Concilia, ædificant interea sua mœnia, nobis otiosis, et nescio quid expectantibus, ut ad extremum, confirmatis suis rationibus, nos prorsus excludant, et neque Concilium haberi, neque quicquam omnino agi possit.

Operæ pretium enim est videre istorum artes, et stratagemata; quoties indicta Concilia non coiverint; quoties exiguus rumusculus universum apparatum, et omnem expectationem disturbarit: quoties patres in medio itinere repente substiterint: quoties purpurati Amphictyones e medio conventu, re infecta, dilapsi sint domum, et proximum actum in nonum, decimumque annum distulerint? quoties cœlum, quoties annona, quoties locus, quoties tempus non placuerit? Pontifex enim solus convocat Concilia, et solus dimittit, cum vult. Si quid non placuit, aut si res non recte ire cœpit, statim auditur: valete, et plau-

dite. Indicitur Concilium Basileam: convenitur undique magno numero, agitur serio de rebus multis: Eugenius Papa ut Simoniacus et Schismaticus omnibus suffragiis condemnatur: in ejus locum Amideus dux Sabaudiæ surrogatur. Accipit id indigne, ut debuit, Eugenius: rem eam pessimi exempli esse ad posteros: potestatem, et vim suam longe esse super omnia Concilia: Non posse Concilium nec convenire, nisi jussu suo: nec decernere quicquam nisi quantum ipse velit. Impium esse in conventiculo Episcoporum inquisitionem fieri de vita sua. Non mora, Concilium Ferraram revocat in Italiam, post idem transfert Florentiam. Quid hoc, quæso, rei est? An putabat Eugenius Papa cœlum animos mutare, aut Spiritum sanctum prudentius in Italia responsurum esse, quam antea responderat in Germania? Immo vero, ille tot illis mutationibus non Christum quærebat, sed suum commodum. Videbat in Germania Imperatorem Sigismundum inimicum suum, nimium et autoritate valere et gratia. Et patres illos, qui Basileam convenerant, si ex illis duris et asperis regionibus migrassent in Italiam (ut arbores cum transplantantur) fieri posse mitiores. Nam (ô Deum immortalem!) non id nunc agitur aut quæritur in Conciliis, aut ut veritas inveniatur, aut ut mendacia refutentur. Hoc solum semper fuit proximis istis sæculis studium Pontificum in Conciliis, ut Tyrannis

Romana constitueretur: ut bella susciperentur: ut principes Christiani inter se committerentur: ut pecunia colligeretur, modo in terram sanctam, modo in fabricam Petri, modo in nescio quos usus, seu verius abusus alios: quæ tota in paucos quosdam ventres, in luxum et libidinem conjiceretur. Atque hæc unica fuit aliquot jam sæcula ratio Conciliorum. Nam de erroribus et abusibus, quasi nulli essent, nihil unquam agi potuit.

Petrus Alliacensis in Constantiensi Concilio multum questus est de avaritia, et insolentia curiæ Romanæ. At quid promovit? quæ unquam pars illorum avaritiæ aut insolentiæ Concilii autoritate repressa est? Idem ait festos dies, et otiosorum Monachorum greges sibi videri minuendos: et alius quispiam (in opere quodam, quod appellatur tripartitum, et adjunctum est ad Concilium Lateranum) totus, inquit, fere mundus obloquitur, et scandalizatur de tanta multitudine religiosorum pauperum. Et patres in Concilio Lateranensi, Firmiter, inquiunt, præcipimus, ne quis de cætero novam religionem inveniat. Ex eo tempore quid de festis diebus factum sit, nescio: probabile tamen est, nihil esse imminutum: At Monachorum ordines aucti etiam sunt in infinitum. Nam a proximis Pontificibus additi sunt Jesuitæ, Cappuchini, Theatini: quasi pigrorum ventrum nondum etiam esset satis. Johan-

nes Gerson, Cancellarius Parisiensis, in Concilio Constantiensi obtulit patribus septuaginta quinque abusus in Ecclesia Romana, quos vehementer cuperet emendatos. At ex tanto numero, quem illi unum abusum unquam sustulerunt? Johannes Picus Mirandula scribit ad Leonem Papam, ut minuat inanes ceremonias, et coerceat luxum sacerdotum. Sederunt postea Episcopi magna frequentia, et magna expectatione in Concilio Laterano. At quam unam ceremoniam imminuerant, in quo uno sacerdote luxum et nequitiam damnaverunt? Mantuanus poeta queritur nominatim de moribus Ecclesiæ Romanæ: Bernardus Abbas ita scribit ad Eugenium Papam: Aula tua recipit bonos, non facit, mali ibi proficiunt, boni deficiunt. Et de miserabili statu Ecclesiæ, qui tum erat; A planta, inquit, pedis usque ad verticem capitis non est in ea sanitas. Et rursus, Ubi est, inquit, qui prædicet annum acceptabilem Domini? Non custodiunt, inquit, hoc tempore sponsam Christi, sed perdunt: non pascunt gregem Domini, sed mactant, et devorant. Adrianus Papa sextus, cum Legatum mitteret in Germaniam, ingenue, et vere fassus est corruptissimum esse statum universi Cleri. Omnes, inquit, nos Prælati Ecclesiastici declinavimus, unusquisque in viam suam, nec est jam qui faciat bonum, non est usque ad unum. Albertus Pighius fatetur

in ipsa Missa, quam illi sacrosanctam esse volunt, et in qua una Cardinem religionis Christianæ constituunt, abusus et errores inveniri. Quid plura? mitto alios testes; sunt enim infiniti. Habita sunt postea Concilia complura, convocati sunt Episcopi, Synodus Basiliensis indicta est nominatim, uti illi tum præ se ferebant, de reformatione totius Cleri: At ex eo tempore errores ubique aucti sunt, vitia etiam sacerdotum conduplicata sunt. Cardinales a Paulo Papa tertio delecti ad considerandum statum Ecclesiæ, renuntiarunt, multa esse in ea, et præsertim in Episcoporum et Clericorum moribus vitiosa. Episcopos otiosos esse, non docere populum, non pascere gregem, non curare Vineam: versari in aulis Principum, abesse domo: Cardinalibus Episcopatus, modo ternos, modo quaternos commendari, idque magno cum Ecclesiæ detrimento fieri: illa enim officia non esse (uti loquuntur) compatibilia. Conventuales ordines prorsus ex Ecclesia tollendos esse. Postea habitum est Concilium Tridenti: sed an Episcopi cœperunt ex eo tempore pascere gregem? an desierunt, aut abesse domo, aut versari in aulis Principum? an Cardinales desierunt esse Episcopi? aut prospectum est, ne quid Ecclesia ex ea re detrimenti caperet? an imminuti sunt ordines conventuales? an religio apud eos est emendatior? quid ergo necesse fuit tot Episco-

pos tam procul convocari, aut de emendanda Ecclesia tot annos frustra deliberari? hoc scilicet illud est, Pharisæos restituere velle Templum Dei.

Fatentur errores et abusus: convocant Concilia, simulant studium religionis et pietatis, pollicentur operam et industriam, quicquid collapsum est, id omne se velle una nobiscum instaurare; sic scilicet, ut olim hostes populi Dei dicebant, se velle una cum Nehemia ædificare Templum Domini. Non enim illi id quærebant, ut Templum Domini ædificarent, sed ut quam maxime possent ædificationem impedirent. Redire volunt nobiscum in gratiam, sed ita, ut olim Naas tyrannus cum Judæis Jabensibus, non alia lege, quam ut sinamus nobis exculpi dextros oculos: hoc est, ut verbum Dei, et Evangelium salutis nostræ nobis eripi patiamur.

An enim illis curæ est religio? an illi curant Ecclesiam Dei; quibus nec Dei vindicta, nec salus populi, nec ulla pars officii sui unquam curæ fuit? Pan, inquiunt, curet oves, ipsi interim belligerantur, venantur, obsonantur: ut ne quid dicam fœdius. O Deum immortalem! quis istos putet unquam de Ecclesia Dei, aut de Religione cogitare! quando isti, aut quos errores unquam tollent? quam lucem nobis restituent? quicquid dicas, etiamsi solem ipsum geras in manibus, tamen videre nolunt: manifestos errores, quantum

possunt, excusant, pingunt, comunt, ut olim Symmachus, aut Porphyrius errores, et ineptias Ethnicorum: omninoque id agunt, ne populum Dei in fraudem induxisse, neve quid ipsi unquam errasse videantur. Aut si quid in animum inducunt emendare, quod aut nunquam, aut valde raro et perparce faciunt; ut olim Alexandrum Imperatorem Romanum, quum non prorsus abhorreret a Religione Christiana, aiunt, in eodem Sacrario, et Christum coluisse, et Orpheum: utque veteres olim Samaritani una et veri Dei cultum retinuerunt, et cultum Idolorum: ita illi, ea lege recipere volunt partem forte aliquam Evangelii, ut una superstitiones et aniles errores admittant: ita recipiunt vera, ut falsa retineant: ita probant nostra, ut sua non improbent. Atque ita non tollunt abusus, sed colorant: et veteres columnas novo tantum tectorio inducunt.

Ad hunc modum ab istis Ecclesia Dei emendatur, sic conventus et Concilia celebrantur: veritati non servitur, sed affectibus. Melior pars a majori superatur. Pulchrum quidem et gloriosum est nomen ipsum Concilii generalis: sed ex pulchro calice sæpe venenum propinatur. Non enim satis est Episcopos aliquot et Abbates unum in locum convenisse: non in mitra, aut purpura sita est vis Concilii, nec quicquid Concilium decrevit, statim habendum est pro oraculo.

Concilium erat, de quo Propheta Esaias scribit: Væ filiis defectoribus, dicit Dominus, qui cogunt Concilium, et non ex me: et, in te, inquit, Concilium, et dissipabitur. Concilium erat de quo Propheta David ita loquitur: Excitati sunt reges terræ, et principes convenerunt in unum adversus Dominum, et adversus Christum ejus. Concilium erat quod Filium Dei Jesum Christum damnavit ad crucem. Concilium erat quod Carthagini celebratum est sub Cypriano, in quo decretum est, baptizatos ab hæreticis, quum redissent ad Ecclesiam, esse rebaptizandos: quem errorem oportuit postea tot Conciliis, et patrum scriptis revocari. Et quid multis opus est? Concilium Ephesinum secundum aperte fecit pro Eutychete; humanam in Christo naturam conversam esse in divinitatem: Concilium Nicenum secundum decrevit manifestam Idololatriam de adoratione statuarum: Concilium Basiliense, ut Albertus Pighius ait, decrevit contrà omnem antiquitatem, contra naturam, contra rationem, contra verbum Dei. Concilium Ariminense impie decrevit pro Arrianis, Christum non esse Deum. Alia Concilia deinceps multa, Smyrnense, Aërium, Seleucianum, Syrmianum, et Homoüsianos condemnaverunt, et Ariminensis Concilii impietati subscripserunt. Quid quæris? ipsum etiam Concilium Chalcedonense, quod unum erat ex illis quatuor, quæ Gregorius cum

quatuor Evangeliis comparavit, Leo Papa non dubitavit accusare temeritatis.

Itaque videmus, Concilia Conciliis sæpe contraria extitisse: utque Leo Pontifex acta sustulit Adriani, Stephanus Formosi, Joannes Stephani; utque Sabinianus Papa, Omnia scripta Gregorii Papæ, ut perversa et impia jussit comburi: ita videmus Concilium posterius sæpe omnia superioris Concilii decreta sustulisse. Carthaginense Concilium decrevit, ne Romanus Episcopus appellaretur, aut summus sacerdos, aut princeps sacerdotum, aut aliud quippiam simile. At postera Concilia, illum non tantum summum sacerdotem, sed etiam summum Pontificem, et caput universalis Ecclesiæ appellaverunt. Eliberinum Concilium decrevit, ne quid, quod colitur, jus fasque esset, ut in templorum parietibus pingeretur. Concilium Constantinopolitanum decrevit imagines non esse ferendas in templis Christianorum. Contra, Concilium Nicenum secundum, imagines in templis non tantum ponendas esse censuit, sed etiam adorandas. Lateranense Concilium sub Julio Papa secundo, non alia causa indictum est, quam ut Pisani Concilii decreta rescinderet. Ita Episcopi sæpe posteriores prioribus adversantur, et Concilia alia aliorum luminibus obstruunt. Isti enim ne suis quidem Conciliis teneri volunt, nisi quantum placet, quantumque commodum est, et facit πρὸς τὰ ἄλφιτα. Basiliense Concilium

decrevit, Concilium Episcoporum esse supra Papam. At Concilium Lateranense sub Leone decrevit, Papam esse supra Concilium. Papa vero non solum ita se gerit, sed etiam si quis contra sentiat, eum habere jubet pro hæretico. Atqui omnes Episcopi et Abbates in Concilio Basiliensi, si quis, inquiunt, istis veritatibus sese opponit, pro hæretico habendus est. Obsecro te, quid tu hic facias? quicquid dicas, aut sentias, vel Papa te, vel Concilium habebit pro hæretico. Omnes autem Papæ, aliquot jam seculis, sese istis Basiliensis Concilii veritatibus opposuerunt: ergo judicio Basiliensis Concilii, aliquot jam sæcula omnes Papæ fuerunt hæretici. Idem Concilium omnibus suffragiis summovit Papam Eugenium, hominem Simoniacum, et schismaticum, et illi successorem dedit Amideum. At Eugenius Papa Concilii decretum flocci fecit, et quamvis maxime esset Simoniacus et schismaticus, tamen non desiit esse successor Petri, et Vicarius Christi, et caput universæ Ecclesiæ Dei: et invitis omnibus dignitatem priorem retinebat, utque antea solitus fuerat, in cervicibus hominum nobilium sublimis magnifice ferebatur. Amideus autem homo simplex, quasi ex equo delapsus, humi pedibus ambulabat, satisque sibi beatus esse videbatur, quod de Papa factus esset Cardinalis. Concilium proximum Tridentinum edixit, ut Episcopi docerent populum, neve quis-

quam unus duo, plurave sacerdotia haberet eodem tempore: isti contra edictum Concilii sui cumulant sacerdotia, et nihil docent. Ita scribunt leges, quibus ipsi teneri nolint, nisi quum lubet. Tanti scilicet semper fecerunt Concilia, et decreta sua.

Nunc vero quid est, cur eventum speremus hoc tempore meliorem? qua enim gratia, qua expectatione, qua spe venitur in Concilium? Hoc enim tantum tecum cogita, quinam tandem homines illi sint, quorum fide, doctrina, judicio, moles totius Concilii et omnium istarum quæstionum disceptatio, et summa rerum niti debeat? Abbates quidem appellantur, et Episcopi, graves personæ, et pulchra nomina: utque existimatur, magni instar momenti in administranda Ecclesia Dei. At si illis nomina tantum ea, et personam, et vestem tollas, nihil habent aliud nec Abbatis, nec Episcopi simile. Non enim sunt ministri Christi, non dispensatores mysteriorum Dei, non incumbunt lectioni, non docent Evangelium, non pascunt gregem, non colunt terram, non plantant vineam, non accendunt ignem, non portant arcam Domini, non obeunt legationem pro Christo; non vigilant, non faciunt opus Evangelistæ, non implent ministerium suum: implicant se negotiis secularibus: abscondunt thesaurum Domini sui, auferunt claves regni Dei; non ingrediuntur ipsi, nec alios ingredi patiuntur, pulsant conser-

vos suos, pascunt seipsos, gregem non pascunt: dormiunt, stertunt, convivantur, luxuriantur: nubes sine aqua, stellæ sine luce, canes muti, ventres pigri: utque Bernardus ait, non Prælati, sed Pilati, non doctores, sed seductores, non pastores, sed impostores, servi, inquit, Christi, serviunt Antichristo. Istis solis Pontifices volunt locum esse, et suffragandi potestatem in Concilio: in istorum judicio ac potestate versari volunt curam, et procurationem universæ Ecclesiæ Christi: istos nunc solos Pius Papa delegit ad spem suam. At quos (ô Deus bone!) homines, quales viros? quanquam, ut ipsi quidem putant, ridiculum est, velle hoc quærere. Quam enim docti, quamque pii sint, quid velint, quid sentiant, inquiunt, nihil refert. Satis videlicet est, si sedere possint in mula, et magna pompa, et strepitu vehi per publicum, et venire in Concilium, et nihil dicere. Si mihi forte non credis, ac me potius putas animi causa ista fingere: audi ergo judicium Honorarium, quid ea de re sacrosancta facultas, et Sorbona tota decreverit. Quod magistri, inquiunt, nostri dicunt de legitima congregatione, notandum est ad hoc, ut Concilium legitime congregetur, sufficere quod solemnitas, et forma juris solemniter sit servata. Quia si quis trahere vellet hoc in disputationem, utrum Prælati, qui ibi sedent, habeant rectam intentionem, et utrum sint docti, et utrum habeant scien-

tiam sacrarum literarum, et animum obediendi sanæ doctrinæ, esset processus in infinitum. Isti videlicet, qui tanquam Mercuriales statuæ muti sedeant, et quid sit religio prorsus nesciant, de universa religione recte et commode respondebunt, et quicquid dicunt, errare non queunt.

Istos omnes Pontifex habet, non tantum errore et ignorantia, sed etiam jurejurando, et religione obstrictos sibi: ut etiamsi recte sentiant, tamen nisi perjuri esse velint quod sentiunt pronuntiare, et veritatem palam profiteri, et præ se ferre non possint: prorsus, ut vel homini fides fallenda sit, vel Deo. Sic enim omnes jurant conceptis verbis. Ego N. Episcopus ab hac hora in antea fidelis ero sancto Petro, sanctæque Apostolicæ Romanæ Ecclesiæ, Domino meo Papæ N. ejusque successoribus Canonice intrantibus: Non ero, neque in consilio, neque in facto, ut vitam perdat, aut membrum; vel capiatur mala captione. Consilium, quod mihi, aut per literas, aut per nuncium manifestabit, ad ejus damnum nulli pandam. Papatum Romanæ Ecclesiæ, et regulas sanctorum patrum adjutor ero ad defendendum, et retinendum contra omnes homines. Olim, quum sacerdotes Apollinis Pythii aperte loquerentur in gratiam Philippi Regis, erunt qui facete dicerent, Pythium cœpisse φιλιππίζειν. Nos vero nunc, cum perspicue videamus nihil in Concilio decerni, nisi de voluntate et nutu Papæ, cur non

dicamus, Conciliorum Oracula παπίζειν, id est, tantum dicere, quantum Papa velit. Prudenter olim Verres, quem aiunt, quum multis criminibus non obscure teneretur, noluisse existimationem et famam suam committere, nisi hominibus bene fidis de grege, et cohorte sua. Multo autem prudentius Pontifices, qui illos sibi judices dari volunt, quos sciunt nec velle, quia rationes habent conjunctas, omnia autem voluptatibus et ventre metiuntur; nec quia jam jurati sunt, quamvis velint, posse quicquam statuere præter voluntatem suam. Collocant illi quidem in medio sacra Biblia, quæ spectant eminus, non legunt, quasi contra illorum præscriptum nihil facturi. Re autem vera secum ipsi adferunt præjudicatam sententiam: nec attendunt quid Christus dicat, nec statuunt quicquam, nisi quod lubet.

Itaque libertas illa, quam oportuit esse in omnibus consultationibus, maxime vero de rebus sacris, quæque maxime convenit Spiritui Sancto, et modestiæ hominum Christianorum, prorsus jam de medio sublata est. Paulus ait, si alteri assidenti revelatum fuerit, prior taceat:[1] isti vero comprehendi jubent, et in carcerem detrudi, et ignibus mandari, si quis quicquam contra mutiat. Testis adhuc est crudelis interitus duorum sanctissimorum hominum, et fortissimorum virorum, Johannis Hus, et Hieronymi Pragensis; quos

[1] 1 Cor. xiv. 30.

illi duos contra fidem publicam interfecerunt, et fidem Deo, hominibusque fefellerunt. Sic impius Propheta Zedechias, cum aptasset sibi cornua ferrea, colaphum impegit Micheæ Prophetæ Domini: et mene, inquit, reliquit Spiritus Domini, et accessit ad te? Itaque nunc exclusis omnibus, soli regnant in Conciliis, et soli obtinent suffragia, atque ita scribunt, et promulgant leges, ut olim Ephesii. Nemo (inquiunt illi) hic vivat cæteris prudentior, nisi malit exul atque extorris vivere. Nostrorum enim isti hominum prorsus neminem audire volunt. Ante decem annos in Concilio proximo Tridentino Legati Principum Germaniæ, et liberarum Civitatum, qui ea causa venerant, ut audirentur, ab omni colloquio et conventu excludebantur. Episcopi enim et Abbates respondebant, nolle se permittere liberam causæ cognitionem, nec velle controversias disceptari ex verbo Dei: nostrarum autem partium homines nullo modo esse audiendos, nisi si vellant recantare: quod si nollent, non alia lege venturos esse in Concilium, quam ut audirent condemnationem suam. Nam Julius tertius in Brevi illo suo, quo Concilium indixit, publice denunciavit, ut aut mutarent sententiam, aut causa inaudita condemnarentur pro hæreticis. Pius autem Papa quartus, is qui nunc instituit Concilium revocare, omnes eos, qui ab Ecclesiæ Romanæ autoritate discesse-

runt, id est, maximam partem orbis Christiani, nec visos unquam, nec auditos jam antea suo præjudicio pro hæreticis haberi jussit. Omnino, aiunt, idque semper in omni sermone jactare solent, recte habere sua omnia: se nihil, ne tantillum quidem de doctrina et religione sua mutatum velle. Albertus Pighius injussu Ecclesiæ Romanæ ait, ne apertissimæ quidem scripturæ credendum esse. Hoc scilicet est Ecclesiam in integrum velle restituere? hoc est veritatem velle quærere? hæc illa est libertas Conciliorum, et moderatio?

Et quamvis hæc omnia sint iniquissima, et a ratione veterum Conciliorum, et ab hominum modestorum deliberatione alienissima: illud tamen multo est iniquius, quod cum orbis jam terrarum de Pontificis Romani ambitione ac tyrannide conqueratur, et de instauranda Ecclesia Dei frustra sudari, et nihil agi judicet, nisi ille in ordinem redigatur: tamen omnia ad illum unum, tanquam ad æquissimum disceptatorem, et judicem deferuntur. At ad quem (O Deus bone!) virum? mitto hostem veritatis, ambitiosum, avarum, superbum, suis etiam jam intolerabilem. Ad illum, inquam, judicium de universa religione deferri volunt, qui omnia sua dictata eodem numero et loco haberi jubet, quo voces ipsius Petri: qui si mille animas abducat secum ad inferos, tamen negat se ea causa posse a quo-

quam reprehendi: qui ait, se ex injustitia facere posse justitiam: Quem Camotensis ait corrupisse scripturas, ut haberet plenitudinem potestatis. Quid plura? quem ipsius contubernales et satellites, Joachimus Abbas, Petrarcha, Marsilius Patavinus, Laurentius Valla, Hieronymus Savanarola non ambigue pronuntiarunt esse Antichristum. Hujus unius judicio ac voluntati omnia subjiciunt, ut idem reus sit, idemque judex: ut accusatores ex inferiori loco audiantur, reus autem sedeat sublimis pro tribunalibus, et ipse de se pronuntiet. Has enim leges tam æquas, tamque rationi consentientes scripsit nobis Papa Julius. Nullum, inquit, ratum Concilium est, aut erit unquam, quod Romanæ Ecclesiæ non fuerit autoritate fulcitum. Bonifacius octavus, Omnem, ait, creaturam oportere subjectam esse Ecclesiæ Romanæ, idque de necessitate salutis. Et Paschalis Papa, Quasi, inquit, Romanæ Ecclesiæ legem Concilia ulla præfixerint, cum omnia Concilia per Romanæ Ecclesiæ autoritatem, et facta sint, et robur acceperint, et in eorum statutis Romani Pontificis autoritas patenter excipiatur. Et alius quispiam, Quod Papa, inquit, approbat vel reprobat, nos approbare vel reprobare debemus: et quod Papa approbat, non licet alii improbare. Et nescio quis parasitus, amisso pudore, Etiamsi totus mundus sentiet in aliquo contra Papam, tamen videtur quod

standum sit sententiæ Papæ. Et alius quispiam non minus impudenter: Sacrilegii, inquit, instar esset, disputare de facto Papæ, qui tametsi non sit bonus, tamen semper præsumitur esse bonus. Et alius etiam impudentius, Papa, inquit, habet cœleste arbitrium: ergo in illis quæ vult, est illi pro ratione voluntas: nec est qui dicat illi, cur ita facis? Utque alia complura, quæ huc adduci possunt, sunt enim infinita, relinquam, et finem aliquando faciam; Innocentius Papa nonus, omnium impudentissime, Neque ab Augusto, inquit, neque a regibus, neque ab universo clero, neque a toto populo judex judicabitur. O Deum immortalem! quantulum abest, ut hoc etiam dicant: Ascendam super Aquilonem, et ero similis altissimo? Si ista vera sunt omnia, et Papæ nihil mentiti sunt, quid opus est Concilio? Aut si Concilium sincerum et liberum habere volunt, tollantur ista omnia, ut improba et superba mendacia: nec tantum ex usu et foro, verum etiam ex libris omnibus auferantur, ne summa rerum in unius hominis, ejusque multis justissimis de causis suspecti voluntate, ac libidine relinquantur. Atqui Pontifices aiunt, se errare non posse, et ad præscriptum suum exigendum esse verbum Dei: atque etiam antequam adeant ad dignitatem Pontificiam, jurantur in fidem recentium quorundam Conciliorum, quibus omnia fœdum in modum sunt depravata, et sancte

promittunt se nolle quicquam immutari. Quare quid mirum est, si in Conciliis nihil proficitur, si errores et abusus non tolluntur, si legati Principum frustra tam procul ex omnibus terris convocantur? Tamen audio esse quosdam hoc tempore homines, non malos, sed parum, quid dicant, attendentes: qui quamvis arrogantiam in Pontifice, et fastum Persicum, et Epicureum contemptum religionis damnent, tamen ejus autoritatem salvam et incolumem esse velint: Et quamvis eum interdum fateantur esse Antichristum, tamen eundem, postquam semel ascendit in illam sedem, non dubitent esse Universalem Episcopum, et caput universæ Ecclesiæ Christi. Atque hic ita triumphant, et sibi placent, ac si Spiritus sanctus affixus esset ad Molem Adriani. At non locus sanctificat hominem, inquiunt, sed homo locum. Et Hieronymus, quemadmodum citatur ab ipsis, Non filii, inquit, sanctorum sunt, qui tenent loca sanctorum; sed qui imitantur facta illorum. Alioqui Christus ait, in cathedra Mosis sedisse scribas et Phariseos: autoritatem autem illorum monet tantisper esse agnoscendam, si respondeant ex verbo Dei. Quid aliud, inquit Augustinus, dixit Christus, nisi per mercenarios vocem pastoris audire? sedendo enim in cathedra legem Dei docent; ergo per illos docet Deus. Sua vero si illi docere velint, nolite audire, nolite facere. Paulus etiam ait, Anti-

christum, hominem illum peccati sessurum esse in loco sancto. Itaque Hieronymus recte monet, Attendis, inquit, Petrum, sed et Judam considera: Stephanum suscipis, sed et Nicolaum respice. Non facit Ecclesiastica dignitas Christianum: Hæc Hieronymus. Et certe aiunt Marcellinum Papam sacrificasse idolis, Liberium Papam fuisse Arrianum: Joannem Papam xxii. impie sensisse de immortalitate animarum: Joannem Papam octavum fuisse fœminam, et in Papatu incesta libidine cum adulteris concubuisse, et in lustranda civitate, in ipsa pompa, atque in oculis Episcoporum et Cardinalium, peperisse: et Liranus ait, multos Pontifices Romanos a fide Christi defecisse. Quare non nimium fidendum erat locis et successionibus, et inanibus titulis dignitatum. Impius Nero successit Metello pio. Annas et Caiaphas successerunt Aaroni: et idolum sæpe successit in locum Dei.

Sed quænam, obsecro, est illa tanta vis et autoritas, de qua isti ita insolenter gloriantur? aut unde ad eos delata est? de cœlo, an ex hominibus? Christus, inquiunt, ait Petro, Super hanc petram ædificabo Ecclesiam meam: his verbis autoritatem Pontificiam confirmari. Ecclesiam enim Christi in Petro, tanquam in fundamento collocari. Atqui Christus his verbis nihil Petro dedit seorsim a cæteris Apostolis. Neque aut Pontificis mentionem ullam facit, aut

urbis Romæ. Christus illa est petra, Christus est illud fundamentum. Nemo, inquit Paulus, potest aliud fundamentum ponere, quam quod jam antea positum est, quod est Christus Jesus.

Et Augustinus, Super hanc petram, inquit, ædificabo Ecclesiam meam: super hanc, inquit, intelligitur, quam confessus est Petrus, dicens, Tu es Christus filius Dei vivi. Non enim, inquit, dictum est, Tu es petra, sed tu es Petrus; petra autem erat Christus. Et Divus Basilius,[2] super hanc Petram, Hoc est, inquit, super hanc fidem ædificabo Ecclesiam meam. Et antiquissimus pater Origenes, Petra, inquit, est quisque, discipulus Christi, ex quo biberunt de spirituali consequente Petra: Et super talem petram construitur omnis Ecclesiastica doctrina. Quod si super unum illum Petrum tantum existimas ædificari totam Ecclesiam, quid dicturus es de Joanne filio Tonitrui, et Apostolorum uno quoque? Alioqui enim audebimus dicere, quod adversus unum Petrum non prævalituræ sint portæ inferorum, adversus cæteros Apostolos ac præfectos sint prævalituræ? Ac non potius in omnibus et singulis eorum, de quibus dictum est, sit illud, quod dictum est, et portæ inferorum non prævalebunt adversus eam: et illud, super hanc petram ædificabo Ecclesiam meam? An vero soli Petro dantur a Christo claves regni Cœlorum, nec

[2] Tract. I. in Matth.

alius beatorum quisquam eas accepturus est? Quod si hoc dictum, Tibi dabo claves regni cœlorum, cæteris quoque commune est, cur non simul omnia et quæ prius dicta sunt, et quæ sequuntur, velut ad Petrum dicta, sunt omnia communia? Una, inquit, Hilarius, est felix fidei petra, quam ore suo Petrus confessus est. Et rursus, Super hanc, inquit, confessionem Petri ædificata est Ecclesia. Et non ita multo post, Hæc, inquit, fides Ecclesiæ fundamentum est. Ad hunc modum alii etiam patres, Hieronymus, Cyrillus, Beda, Ecclesiam exædificatam aiunt, non in Petro, sed in fide Petri, hoc est, in Christo Jesu Filio Dei, quem Petrus cœlesti instinctu professus fuerat. Petrus, inquit Augustinus, a petra dictus est; non petra a Petro. Nec ego me, inquit, ædificabo super te, sed te ædificabo super me. Imo etiam Nicolaus Liranus, etsi non semper bonus author, scis enim in quæ tempora inciderit ejus ætas, tamen hoc recte vidit, super hanc, inquit, petram, id est, super Christum. Ex quo non potest Ecclesia constare in aliquo homine, ratione potestatis vel dignitatis Ecclesiasticæ, quia multi Papæ inventi sunt apostatæ.

Qua ergo in re sita est ista autoritas Pontificia? In docendo? at nihil docent. In ministrando sacramenta? at non ministrant. In pascendo? at nihil pascunt. Atqui hæc est illa potestas quam Christus contulit in Apostolos.

Ite, inquit, in universum mundum, et prædicate Evangelium: et, Posthac eritis piscatores hominum: et, Sicut me misit vivens Pater, ita ego mitto vos. Isti vero, quo eunt? quid docent? quid prædicant? quid piscantur? unde eunt? a quo mittuntur? Non est ista autoritas Apostolica, sed superba et intolerabilis dominatio, per vim et tyrannidem usurpata. Nemo nostrum, inquit Cyprianus, Episcopum se Episcoporum dicit, aut tyrannico terrore collegas ad obsequendi necessitatem compellit; quando habeat omnis Episcopus pro licentia libertatis et potestatis suæ arbitrium proprium, tanquam judicari ab altero non possit, quum nec ipse possit alterum judicare. Et hoc, inquit, erant utique cæteri Apostoli, quod fuit Petrus, pari consortio præditi et honoris, et potestatis. Et Divus Hieronymus: Major, inquit, est autoritas orbis quam urbis. Quid mihi profers unius urbis consuetudinem? quid paucitatem, de qua ortum est supercilium, in leges Ecclesiæ vendicas? Ubicunque fuerit Episcopus, sive Romæ, sive Eugubii, sive Constantinopoli, sive Rhegii, ejusdem est meriti, et ejusdem sacerdotii. Potentia divitiarum, et paupertatis humilitas superiorem vel inferiorem Episcopum non facit. Et Gregorius, Petrus, inquit, præcipuum in corpore membrum; Joannes, Andreas, Jacobus, particularium plebum capita; omnes tamen sub uno capite membra Ecclesiæ

sunt. Imo sancti ante legem, sancti sub lege, sancti in gratia, et omnes perficientes corpus Domini in membris sunt constituti, et nemo se unquam universalem dici voluit.

Hæc illa est potestas quam hodie quidam ita strenue defendunt, et quicquid de Pontificis vel vita, vel religione sentiant, tamen illam sacrosanctam et integram esse volunt, quasi sine ea Ecclesia Dei incolumis esse non possit: aut nisi Papa velit et jubeat, Concilium non sit Concilium; et si totus mundus contra sentiat, nihil sentiat. Quare cum videas hæc omnia iniquissime esse comparata, nihil hodie in Conciliis sincere et vere fieri, mirari non debes, si nostri homines domi manere malint, quam tam procul frustra proficisci, ubi et operam lusuri sint, et causam perdituri.

Sed injussu Pontificis, inquies, et Concilii, nefas erat in religione voluisse quicquam immutare. Imo vero, Pontifices ipsi universum prope statum primitivæ Ecclesiæ sine ullo Concilio mutaverunt. Est quidem ista speciosa et pulchra oratio, sed erroribus fœdissimis prætexitur. Morari enim tantum volunt expectatione animos hominum; ut mora ac tædio hebescere incipiant, et ad extremum spem abjiciant. Quid enim? an dum Papa convocet Concilium, et Abbates atque Episcopi domum redeant, volunt interea populum Dei falli, errare, decipi, circumfundi

erroribus et ignoratione Dei, et abduci ad interitum sempiternum? Non licet cuiquam nostrum credere in Christum, profiteri Evangelium, rite et vere Deum colere, fugere superstitiones et cultus idolorum, nisi isti velint? Miserabilis vero esset status Ecclesiæ Dei, si in tot erroribus tam late diffusis, tam crassis, tam cæcis, tam fœdis, tam perspicuis, et manifestis, ut eos ne adversarii quidem nostri negare queant, nihil possit effici sine concursu orbis terrarum, et Concilio generali, ejus præsertim, cujus et expectatio incerta sit, et exitus multo incertior. Quum Persæ olim in Græciam irrupissent, et cœpissent omnia populari, et Lacedæmonii, quorum virtus inter omnes tum Græcos eminebat, quosque oportuit primo quoque tempore procurrere, ad rem gerendam Lunam opportuniorem expectarent (erat enim ea illis jam inde a Lycurgo avita superstitio, ne proficiscerentur ad pugnam, nisi in plenilunio) patria interea dum illi cunctabantur, diripi, et incendi potuisset. Periculum, inquiunt, est in mora. Agitur salus Ecclesiæ Dei, diabolus rugit ut Leo, et circuit, et quærit quem devoret: homines simplices facile trahuntur in fraudem, et quamvis sæpe tanguntur zelo Dei, tamen imprudentes persequuntur Filium Dei: utque Nazianzenus ait, Quum putent se pugnare pro Christo, pugnant sæpe contra Christum. Episcopi autem, quibus oportuit ista esse curæ, aut, ut inanes

larvæ omnia susque deque ferunt; aut, ut quod res est dicam, augent etiam errorem, et conduplicant caliginem. An ergo nos oportuit sedere otiosos, et hujusmodi patrum cognitionem expectare, et manus comprimere, et nihil agere? Imo, inquit Cyprianus, unus est Episcopatus, cujus a singulis in solidum pars tenetur, et certe pro sua cuique parte Domino reddenda est ratio. Sanguinem illorum, inquit Dominus, de manu tua requiram. Quod si quis admoveat manum ad stivam, et respiciat a tergo, et sollicitus sit, quid alii sentiant, et expectet autoritatem Concilii generalis, et interea recondat thesaurum Domini sui, audiet: Serve male, et perfide: tollite illum, et abjicite in tenebras exteriores. Sinite, inquit Christus, mortuos sepelire mortuos suos. Tu veni et sequere me, veritas Dei non pendet ab hominibus. In humanis quidem Conciliis prudentis est expectare judicium et consensum hominum: In rebus autem divinis vox Dei debet instar esse omnium: quam postquam mens pia semel accepit, statim cedit, et manus dat, non tergiversatur, aut expectat alios. Intelligit enim se non Pontificis, aut Concilii arbitrio oportere credere, sed voluntati Dei; ejus autem voci obtemperandum esse, invitis omnibus. Propheta Elias Domino jubenti statim obsequutus est, etsi se credebat esse solum. Abrahamus monitu Dei migravit e Chaldea. Lot egressus



est e Sodomis. Tres illi Israelitæ publice ediderunt confessionem religionis suæ, et publice detestati sunt Idololatriam; nihil expectato generali Concilio. Exite, inquit Angelus, de medio ejus, et ne sitis participes peccatorum ejus: neve accipiatis de plagis ejus: Non dicit, expectate Synodum Episcoporum. Sic primum publicata est veritas Dei, sic eadem nunc restituenda est. Sine publico Concilio Apostoli primum docuerunt Evangelium. Sine publico Concilio idem potest postliminio revocari. Quod si Christus ipse ab initio, aut ejus Apostoli cunctari voluissent, et rem omnem ad futurum Concilium rejecissent, quando tandem exivisset sonus illorum in omnem terram? quomodo vim pertulisset regnum cœlorum, aut violenti in illud invasissent? ubi nunc esset Evangelium? ubi nunc esset Ecclesia Dei? Nos quidem non formidamus, aut fugimus, imo multo potius optamus et cupimus Concilium: modo liberum, modo ingenuum, modo Christianum, modo ad Apostolorum exemplar conveniatur, modo Abbates et Episcopi a religione jurisjurandi, quo nunc Romanis Pontificibus obstricti sunt, eximantur; modo universa illa conjuratio dissolvatur; modo nostrarum partium homines modeste, ac libere audiantur; modo ne inauditi condemnentur; modo ne quicquid agatur, unus quispiam infirmare et rescindere possit omnia. At cum id his moribus et temporibus impetrari non posse,

et omnia absurda, inepta, ridicula, superstitiosa, impia, tantum quod semel recepta essent, consuetudinis causa pugnacissime defendi videremus, proprium esse judicavimus, ut municipali Concilio Ecclesiis nostris prospiceremus.

Scimus enim Spiritum Dei nec locis alligatum esse, nec numeris hominum. Dic, inquit Christus, Ecclesiæ: non sane universæ, quæ diffunditur in totum terrarum orbem, sed particulari, quæ possit una aliquem in locum convenire. Ubicunque, inquit, erunt duo aut tres congregati in nomine meo, ibi sum ego in medio illorum. Sic Paulus, ut instauraret Ecclesias Corinthiorum et Galatarum, non jussit expectare generale Concilium: ad ipsos scripsit, ut quicquid esset erroris aut vitii, id ipsi statim resecarent. Sic olim, cum Episcopi dormirent, atque aliud agerent, aut etiam contaminarent et polluerent templum Dei, semper Deus extraordinaria ratione alios quosdam excitavit, magno viros spiritu, atque animo, qui omnia in integrum restituerent.

Nos vero nihil temere, nihil nisi summa cum ratione fecimus, nihil nisi quod videbamus et semper licuisse fieri, et a sanctis patribus sæpe sine ulla reprehensione fuisse factum. Itaque convocatis Episcopis frequenti Synodo, communi consensu omnium ordinum, Ecclesiæ sordes, quas vel incuria hominum, vel malitia infuderat, tanquam Augeæ stabulum repurgavimus, et quantum



assequi maxime potuimus, omnia ad pristinum nitorem, ad Apostolicorum temporum, et primitivæ Ecclesiæ similitudinem revocavimus. Idque et potuimus recte facere, et quia potuimus fidenter fecimus.

Libet hic audire, quid Gregorius Papa primus hac de re scripserit, quanquam magis libet, quod ille de Anglicarum Ecclesiarum institutione ad Anglorum Episcopum Augustinum ea scripserit. Hortatur autem, non ut ad Concilium referat, sed ut ipse pro sua prudentia id instituat, quo videat pietatem maxime posse promoveri. Novit, inquit, fraternitas tua Romanæ Ecclesiæ consuetudinem, in qua se meminit esse nutritum. Sed mihi placet, ut sive in Romana, sive Gallicorum, sive qualibet Ecclesia invenisti quod plus omnipotenti Deo possit placere, eligas solicite, et in Anglorum Ecclesiam, quæ adhuc in fide nova est, et in constitutione, præcipua, quæ de multis Ecclesiis colligere poteris, infundas. Non enim pro locis res, sed pro rebus loca amanda sunt.

Ad eundem modum scribunt Patres in Concilio Constantinopolitano ad Damasum Episcopum urbis Romæ, et reliquos Episcopos Occidentis. De cura, inquiunt, administrationis singularum Ecclesiarum scitis veterem sanctionem et definitionem Nicænorum patrum semper invaluisse, ut in unaquaque provincia cultores, assumptis etiam, si videatur, finitimis, conferant Ecclesiasti-

cos honores iis, quos utiliter gesturos esse confidunt. Et Africani Episcopi ad Celestinum Romanum: Presbyterorum, inquiunt, et sequentium Clericorum improba refugia, sicut te dignum est, repellat sanctitas tua. Quia et nulla patrum definitione hoc Ecclesiæ denegatum est Africanæ: et decreta Nicæna, sive inferioris gradus Clericos, sive ipsos Episcopos suis Metropolitanis apertissime commiserunt. Prudentissime enim justissimeque quæque negotia in suis locis, ubi orta sunt, esse finienda: nec unicuique provinciæ gratiam Sancti Spiritus defuturam. Quæ æquitas a Christi sacerdotibus et prudenter videatur, et constanter retineatur.

Multo vero melius, et ad hanc rem, de qua nunc agimus, accommodatius Eleutherius Episcopus Romanus ad Lucium Regem Britanniæ: Petiistis, inquit, a nobis leges Romanas, et Cæsaris vobis transmitti, quibus in regno Britanniæ uti voluistis. Leges Romanas, et Cæsaris semper possumus reprobare: legem Dei nequaquam. Suscepistis enim miseratione divina in regno Britanniæ legem et fidem Christi: habetis penes vos in regno vestro utramque paginam. Ex illis Dei gratia per concilium regni vestri sume legem, et per illam Dei patientia poteritis vestrum Britanniæ regnum instituere. Vicarius vero Dei estis in regno illo, juxta Psalmistam: Domini est terra.

Quid multis? Victor Episcopus Romanus habuit Romæ Synodum provincialem. Justinianus Imperator mandat, si quid opus sit, in singulis provinciis habere Synodos: id ni fiat, se fore ultorem et vindicem. Unaquæque, inquit Hieronymus, provincia habet mores et ritus et sensus suos, quos sine gravi perturbatione movere facile non possis.

Nam quid ego commemorem vetera Concilia municipalia, Eliberinum, Gangrense, Laodicenum, Ancyranum, Antiochenum, Turonense, Carthaginense, Milevitanum, Toletanum, Burdegalense; non enim est ista nova ratio. Sic olim regebatur Ecclesia Dei, antequam patres ad Nicenum Concilium convenissent. Non enim statim decurrebatur ad Concilium generale. Theophilus habuit Conventum provincialem in Palæstina: Palmas in Ponto: Irenæus in Gallia: Bachylus in Achaia: Origenes contra Beryllum in Arabia. Mitto alia Concilia municipalia quamplura, quæ habita fuerunt in Africa, Asia, Græcia, Ægypto, pia, orthodoxa, Christiana, injussu Pontificis Romani. Episcopi enim tum pro re nata ut quidque incidisset, statim domestico Concilio succurrebant Ecclesiis suis, et modo vicinorum Episcoporum fidem implorabant, modo operas mutuas tradebant, et si quid opus esset, sese vicissim ultro juvabant. Nec tantum Episcopi, sed principes etiam judicabant religionis causam

ad suum officium pertinere. Nam, ut mittam Nabuchadnezarem, qui capitale sancivit, si quis blasphemasset Deum Israel: aut Davidem, Solomonem, Ezechiam, Josiam, qui partim exædificarunt, partim repurgarunt templum Dei: Constantinus Imperator sine Concilio sustulit cultum idolorum, et gravissimis verbis edixit, capitale fore, si quis idolo sacrificasset. Theodosius Imperator solo æquari jussit templa deorum. Jovinianus Imperator, statim ubi esset renunciatus, tulit primam legem de reducendis exulibus Christianis. Justinianus Imperator dicere solebat Religionem Christi non minus sibi esse curæ, quam vitam suam. Josua, quum factus esset dux populi, statim accepit præcepta de religione, et de colendo Deo. Sunt enim Principes nutritii Ecclesiæ, et custodes utriusque tabulæ. Nec alia magis causa Deus semper voluit Politias existere, quam ut essent, qui religionem et pietatem incolumem conservarent.

Quo magis hodie graviusque peccant multi Principes, qui appellantur quidem Christiani, qui sedent otiosi, et indulgent voluptatibus, et patienter ferunt impios cultus et contemptum numinis, et hæc omnia devolvunt ad Episcopos, ad illos ipsos quibus sciunt omnem religionem esse ludibrio: quasi cura Ecclesiarum et populi Dei ad ipsos nihil pertineat, aut ipsi tanquam pastores quidem sint armentarii, et corporum



tantum, ac non etiam animarum curam gerant. Non meminerunt se servos esse Dei, ea causa delectos, ut serviant Domino. Ezechias rex non prius ascendit in domum suam, quam vidisset perpurgatum templum Dei. Et David rex, Non dabo, inquit, somnum oculis meis, nec patiar ut conniveant palpebræ meæ, donec inveniam locum Domino, et tabernaculum Deo Jacob. O si Principes Christiani audire vellent vocem Domini sui. Nunc reges intelligite, inquit Dominus, erudimini, qui judicatis terram. Ego, inquit, dixi, dii estis, hoc est, homines divinitus electi, quibus nomen meum esset curæ. Cogita tu, quem ego de sterquilinio excitavi, et in summo dignitatis et honoris gradu collocavi, et præfeci populo meo, cum ita studiose ædifices et ornes domum tuam, quo animo potes contemnere domum meam? aut quomodo quotidie oras, ut regnum tuum tibi posterisque tuis confirmetur? An ut nomen meum semper afficiatur contumelia? ut evangelium Christi mei extinguatur? ut servi mei mea causa, ante oculos tuos, te inspectante, trucidentur? ut tyrannis longius grassetur? ut populo meo semper imponatur? ut per te scandalum confirmetur? Væ illi per quem venit scandalum; væ etiam illi, per quem confirmatur scandalum. Horres sanguinem corporum; quanto magis horrere debes sanguinem animarum? Memineris quid acciderit Antiocho, Herodi,

Juliano: Ego regnum tuum transferam ad hostem tuum, quia peccasti adversum me: ego muto tempora et vices temporum: abjicio reges et instituo, ut intelligas me altissimum esse, et vim habere in regno hominum, et illud dare cui volo: ego humilio, et ego exalto, ego glorificantes me glorifico, et eos qui me contemnunt, afficio contumelia.

FINIS.

CANTABRIGIÆ:
TYPIS EXCUDEBANT GUL. METCALFE ET J. PALMER.





To the Bodleian Library,
from Edward S. Dodgson,
March 6, 1912.



